[Bib]liotheca de Rosa

JOSEPHI MAFFEJI
JURIS CIVILIS
IN NEAPOLITANA ACADEMIA
PRIMARII PROFESSORIS
INSTITUTIONES JURIS CIVILIS
NEAPOLITANORUM

IN QUIBUS LEGUM NEAPOLITANARUM ORIGINES
AC VETERA ET NOVA REGNI INSTITUTA
ENARRANTUR.

PARS PRIOR.

NEAPOLI MDCCLXXXIV.

APUD JOSEPHUM DE BISOGNO

PUBLICA AUCTORITATE.

Alveos accipite, & ceris opus infundite,
Ut ex sapore mellis, & forma favi,
De queis nunc agitur, auctor horum appareat.
Phaedrus lib. 3. fab. 13.

ANTONIO . PIGNATELLIO
GALATAENAE . MARCHIONI
E. BELLOMONTI . ET. S. R. I. PRINCIPIBVS
PRIMARIS. HISPANIARVM . MAGNATIBVS
E. VETVSTISSIMA. PIGNATELLIA. GENTE
AB . ROGERI. VSQVE. AEVITATE
BELLICA . VIRTVTE . PRAECLARA
A . NOSTRIS. SVBINDE. REGIBVS
SVMMIS . HONORIBVS . PVBLICIS. MVNERIBVS
ET. REGIS. LEGATIONIBVS. COHONESTATA
ANTONI . ORDINIS . S. IANVARI . MILITIS
OB. SINGVLAREM . DEXTERITATEM
IN. AVGVSTA . DOMO. OFFICIORVM . MAGISTRI
AC . REGIAE . BONARVM . ARTIVM . ACADEMIAE
PRAEFECTI . FILIO
FERDINANDO . IIII. PIO . FELICI. P. P. AVGVSTO
A. CVBICVLIS
IVVENI . INCOMPARABILI
MORVM . SANCTIMONIA . COMITATE. HVMANITATE
OMNIBVS . ACCEPTISSIMO
MIRA . SVPRA. AETATEM . ERVDITIONE
INTERIORIS . POESEOS . ET. PHILOSOPHIAE
CVM . PRIMIS . ETHICES. SCIENTISSIMO
NEAPOLITANI . IVRIS. INSTITVTIONES
DEVOTI. ANIMI. MONIMENTVM
IOSEPHVS . HYACINTHI. F. MAFFEIVS
VENERABVNDVS .

JOSEPHUS HYACINTHI F. MAFFEJUS

STUDIOSO LEGUM NEAPOLITANARUM
JUVENI S. P.

MIraris fortasse, studiose legum Neapolitanarum juvenis, quum tot clarissimi viri hoc tempore institutiones Neapolitanarum legum ediderint, me quoque huic rei operam dedisse, atque, ut dici solet, noctuas Athenas importare voluisse: sed si mei consilii rationem cognoveris, spero fore, ut illud minime sis improbaturus. Quum octavo ab hinc anno institutiones patrii juris publice docendi munus mihi fuisset demandatum, tanta fuit auditorum frequentia, quanta antea nunquam ejus disciplinae doctoribus fuerat. Id fieri praedicabant, quod mea de ea re scripta maxime placerent: quoniam in iis & nostrarum legum origines enarrarentur, & pleraque illarum capita, ut par erat, pertractarentur, veluti de magistratibus, de tributis, & vectigalibus, de universitatibus, de jure civitatis, de successionibus, de re maritima, de re collybistica, de judiciis; quae in aliorum scriptis vel plane desiderarentur, vel non essent pro merito explicata. Quare me bonam operam juventuti daturum dicebant, si ea ederem: atque id me hortabantur. His accessit, quod tanta aviditate mea scripta, quaecunque essent, excepta fuerint, ut summi viri seu eorum fragmenta meo nomine,

seu

ſeu maximam partem ſuo ipſorum evulgare non dubitarint. Id & mihi minus placuit, quum quia mea alieno nomine, tum etiam quia haud ſatis limata prodierant, mihi enim tempus, illis facultas defuit: & tibi haud commodum exiſtimavi, quod ea eſſent mendis deturpata, quum ad illorum manus non mea, ſed auditorum ſcripta veniſſent, in quibus plurima ſolent menda incidere: & non uno in loco interpolata, ne qui vulgaverant, viſi eſſent aliena compilaſſe. Ea re quaedam parum latina, multa detorta, atque a mea ſententia aliena, pleraque diſſidentia in iis occurrunt. Quocirca & e re mea, & tua facturus videor, quum has Neapolitanarum legum inſtitutiones in lucem prodo, in quibus mea pura puta, neque alienis conſpurcata, atque expolitiora, & auctiora legere licet. Eas igitur accipito: & ſi quid inveneris, quod tibi ex uſu ſit, utitor: ſin minus, meis auditoribus linquito. Vale.

ER-

ERRATA		CORRIGE
Pag. 22.v.11.	*Normandis*	*Normannis*
28.v.11.	decederet . Henrico	decederet, Henrico
34.v.11.	juridiciariumque	judiciariumque
59.v. 1.	difficilissima	difficillima
87.v. 7.	pragma	pragmatica
90.v. 4.	summarie	summatim
99.v.17.	consolatus	consulatus
105.v.ult.	presbyterii	presbyteri
109.	*not.*11. 12. & 13. tit. 11.	part.1.supp.1.tit.11.
123.	& seqq.*not.*9.12. 15.16.17.18. 19,*&* 20.tit.59.	part. 2. tit. 59.
144.v. 8.	in regno	ex regno
149.v.10.	quam	quum
149.et 150,	*not.* 7.9, tit. 14,	part. 1. tit. 14.
159.v, 4.	quum favorabiliores sint filiifamilias, quam minores	quum favorabiliores sint minores, quam filiifamilias,
181.v. 9.	& 19, fratris, vel sororis filios	fratris filios
199.v, 6.	abocator, *cum quo contrahit*	abocator ; *contra eum , cum quo contrahit*
239.	*not.* 15. 16.	transfer num. 15, ad 16.
243.	*not.* 26. Guillelmo I. tribuit : sed ipse Guillelmi II.	Guillelmo II. tribuit : sed ipse Guillelmi I.
269.v.26.	antepagamenta	antepagmenta .

INSTITUTIONUM

JURIS CIVILIS NEAPOLITANORUM.

LIBRI SEX

PROLUSIO HISTORICA

CAPUT I.

Historia regni Neapolitani a reipublicae Romanae temporibus ad Langobardos.

JUris civilis Neapolitanorum traditurus elementa, necessarium duco ejus juris origines, & progressus exponere, & regni Neapolitani initia, & subinde mutatum regimen; quae res libentius ad propositae materiae lectionem perducit, & clariorem juris intellectum reddit.

Regnum Neapolitanum, quod olim regnum Siciliae, & deinde regnum utriusque Siciliae dictum est, uti nunc FERDINANDI IV. optimi Regis, quem Deus perpetuum sospitet, ditioni paret, insula Sicilia constat, & continenti terra, quae a Brutiis ad

 An-

Anxur urbem, & Truentum fluvium pertinet, superoque, & infero mari clauditur, Pontificioque principatu ad occidentem solem finitur (1).

Is terrae tractus cum vicina Sicilia, ubi Romano accessit imperio, non eodem jure usus est, nec eodem modo gubernatus. Romani enim ad regnandum nati, quo victis commodius imperarent, imperiumque firmius retinerent, iis regendis, quam minimum poterant, a devictarum civitatum ingenio recedebant. Quo factum, ut insulam Siciliam in provinciae formam redegerint; Italiae vero civitates nequaquam: sed eas municipia, colonias, praefecturas, civitates foederatas esse voluerint (2).

Municipia civitates fuere, quarum cives suo jure, suis legibus, & magistratibus utebantur, muneris tamen cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capessendo municipes appellati videntur: nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, quum nunquam populi Romani eorum fundus factus esset (3). Horum tamen non una conditio; nam quaedam jus suffragii, & honorum habebant, quaedam non

(1) Magin. in geograph. tab. 14.
(2) Sigon. de ant. jur. Ital. & Spanhem. de Orb. Rom.
(3) Gell. N. A. lib. 16. cap. 13.

non habebant : quaedam suis legibus utebantur, quaedam Romanas adoptaverant (4).

Coloniae fuere civitates, veluti ex civitate Romana propagatae, quod in eas Romani coloni missi essent : eaeque jura, institutaque omnia populi Romani, non sui arbitrii habuere (5). Vivebant enim legibus Romanis, atque institutis a triumviris coloniae deducendae stabilitis. Suos vero magistratus habuere e decurionum collegio creatos. Coloniarum quoque non eadem forma fuit : quaedam enim Romani, quaedam Latini, quaedam Italici juris fuere (6).

Praefecturarum pessima conditio fuit : eae enim civitates, quae fidem fefellissent, aliudve admisissent, quo supplicio dignae viderentur, in praefecturarum formam redigebantur. Atque in eas quotannis Roma praefecti mittebantur, qui eas Romanis legibus, suisque edictis gubernarent (7).

Optimum contra foederatarum civitatum jus fuit ; eae enim suis usae sunt legibus, atque institutis, & magistratibus ; nisi, quae ex foedere debebant, quum usus venerat, praestare tenebantur (8). Talis fuit Neapo-

(4) Struw. in hist. jur. cap. 1. §. 24.
(5) Gell. loc. cit. (6) Struv. d. cap. 1, §.25.
(7) Sigon. de ant. jur. Ital. lib. 2. cap. 10. Struv. d. cap. 1, §. 26.
(8) Sigon. d. lib. 2. cap. 14.

lis Graeca origine, legibus, atque institutis (9).

Provinciae denique fuere regiones late patentes, Italia procul positae, populo Romano, vel bello partae, vel hereditate, vel deditione. Eae censum, vectigalia, tributa populo Romano pendebant: in easque quotannis Roma mittebantur proconsules, vel propraetores, qui ex jure Romano, suisque edictis jus dicerent: & quaestores, qui tributa, & vectigalia procurarent. Non omnis vero provincia pari jure utebatur: nam in provinciis erant municipia, coloniae, & civitates foederatae (10). Harum in numero fuit insula Sicilia.

Ea regiminis forma non modo libera Republica, sed etiam sub primis imperatoribus obtinuit: quoniam Augustus, ubi rerum potitus est; ne videretur regnum affectare, nihil paene novi in legibus, magistratibus, & reipublicae administratione molitus est: sed id dedit operam, ut leges, & magistratus e suo penderent arbitrio. Quo factum, ut sub Augusto, sequutisque imperatoribus non parum de pristino municipiorum, coloniarum, foederatarumque civitatum jure decesserit.

At ubi imperium ad Hadrianum pervenit, ma-

(9) Liv. lib. 34. cap. 14.
(10) Struv. d. cap. 1. §. 40.

major rerum mutatio facta est. Etenim is, ut summam in universam rempublicam sibi potestatem stabiliret, non modo frequentioribus edictis, rescriptisque omne paene jus reformavit: & edictum perpetuum per Salvium Julianum componi curavit: sed etiam universum imperium in provincias partitus est: Italiamque ipsam (quod antea fuerat inauditum) in provinciae formam redegit. Atque ex Italia, & vicinis insulis septemdecim provincias fecit; quibus regendis consulares, correctores, & praesides auctoritate pares, sed dignitate dispares praefecit (11).

Ex his quinque ad nos pertinent, nempe una insula Sicilia, & quatuor in continenti terra, Campania, Samnium, Apulia & Calabria, ac Lucania & Brutium. Sicilia, & Campania consularibus suberant: Samnium praesidi: Apulia cum Calabria, & Lucania cum Brutiis correctoribus (12). Quare ex eo tempore municipiorum, coloniarum, foederatarumque civitatum jura paene defecerunt.

Major ineunte quarto saeculo mutatio facta est, quum Constantinus Magnus ad imperium evectus orbem Romanum in duas partes divisit, ut duobus imperatoribus parere posset: atque utramque partem in dioeceses, dioeceses in provincias partitus est: nov-

(11) Spartian. in Hadrian. cap. 22.
(12) Pancirol. in notit. imp. occid. cap. 49.

vosque magistratus creavit, qui dioecesibus, provinciisque imperii praeessent (13). Horum primarii fuere quatuor praefecti praetorio, nempe Orientis, Illyrici, Italiae, & Galliarum. Italiae praefecto duo suberant vicarii, unus Romae, alter Mediolani, qui vicarius Italiae dicebatur. Romanus vicarius decem provinciis, quae suburbicariae dicebantur, praefuit, quaeque a consularibus, correctoribus, & praesidibus regebantur. In his fuere quinque, de quibus antea dictum, quaeque regnum Neapolitanum, ut nunc est, constituunt (14).

Atque ita res stetit ad Augustulum usque exactum, quum occidentale defecit imperium. Nam Barbarorum incursiones, veluti Wisigothorum duce Alarico, Hunnorum duce Attila, & Vandalorum duce Genserico meminisse nihil attinet (15). Anno igitur 476. quum Romulus Augustulus (quem alii Momulum, aut Momillum Augustulum appellant) Romae imperaret, Odoacer, qui etiam Odobagar, Otachar, seu Odachar nuncupatur, natione Scita magna Herulorum, Rugorum, Scitarumque manu Italiam invasit :

(13) Zosim. lib. 2. cap. 32. & 33. Socrat. lib. 1. cap. 2.
(14) Pancirol. loc. cit.
(15) De his legendus Muratorius ad an. 402. 452. & 455.

sit: imperatoris exercitum ad Ticinum fudit: Orestem militum ducem Augustuli patrem interemit: Ticinum, Ravennam devicit: Augustulumque exulem in castrum Lucullanum misit (16). Atque ita Italiae omnis, Siciliaeque potitus est, quam insulam fere totam annuo imposito tributo Gensericus Hispaniarum, & Africae rex ei concessit (17). Sic Augusta dignitas, quae in Augusto coeperat, in Augustulo defecit: & imperium Romanum, quod ab uno Romulo initium, ab altero habuit exitium.

Is nullam in republica mutationem instituit: leges non tulit; monetam suo nomine non cudit: immo nec purpura usus fuit, nec regiis insignibus (18). Sed tertiam agrorum partem Italis ademtam suis pro exhibitione tribuit (19).

Odoacri breve regnum fuit. Etenim anno 489. Theodoricus Amalus Theodomiri filius Ostrogothorum rex, qui olim apud Leonem orientis imperatorem obses fuerat, tum a Zenone adoptatus, de ipsius Zenonis venia Italiam petivit, bellum Herulis intulit, Ravennam, ubi sedem Odoacer posuerat, post triennalem obsidionem cepit, Odoacrumque in-

A 4

(16) Jordan. de reb. Getic. cap. 46.
(17) Victor Vitens. lib. de persecut.
(18) Cassiod. in chronic.
(19) Procop. de bell. Goth. lib. 1. cap. 1.

interemit, & Italiae, Siciliaeque regnum occupavit (20).

Hic a pristina regiminis forma minime descivit: legibus enim Romanis delectabatur, ideoque Italis juris Romani usum, hoc est codicis Theodosiani reliquit (21); nisi quod edictum pluribus constans capitibus sub regni initia promulgavit (22), veteres quoque magistratus retinuit: at quo expeditius jus civibus diceretur, singulis urbibus, pagis, vicisque, judices constituit, qui provinciae moderatori subessent (23).

Gothorum regno Justinianus finem fecit. Nam anno 535. bellum Gothis intulit; tum orientalis Italiae Witige devicto potitus est: demum Totila, Tejaque Gothorum regibus interfectis anno 553. universam Italiam, Siciliamque recepit, postquam octodecim annos fuerat varia fortuna belligeratum (24). Ubi Italia, & Sicilia orientali accessit imperio, pristinis magistratibus paruit Romanis usa legibus, scilicet Justinianeis, quae nuper promulgatae fuerant. Quas in Italiam miserat,

(20) Jordan. de reb. Get. cap. 57. & 58.
(21) Cassiod. lib. 3. cap. 43. & lib. 4. cap. 22. 33. & 42.
(22) V. Cod. LL. antiq. Lindebrogii.
(23) Cassiod. lib. 6. cap. 23.
(24) Procop. de bell. Goth. lib. 1. cap. 5. & 6. & lib. 4. cap. 35.

rat, ubi primum eam subigere coepit: tum ea plene in suam potestatem redacta nova pragmatica sanctione illic servandas praecepit (25).

Id non diu duravit. Etenim mortuo anno 565. Justiniano, quum ei Justinus junior sororis Vigilantiae filius successisset, Narsetem, cujus opera Italiam receperat, quique eam pro imperatore gubernabat, Constantinopolim revocavit: atque in ejus locum Longinum misit; qui novis rebus studens veteres magistratus substulit: & singulas urbes ducibus, qui domi, militiaeque praeessent, regendas dedit, quibus ipse praeerat sede Ravennae constituta exarchae nomine adsumto (26).

CAPUT II.

Historia regni Neapolitani a Langobardis ad Normannos.

NArsetem ferunt ea re offensum Alboinum Langobardorum regem Pannonia excivisse, qui primo impetu Galliam Cisalpinam anno 568. occupavit, unde Langobardiae nomen sortita est: mox anno 569. capta Mediolano rex salutatus est, atque ita Lan-

(25) Pragm. Just. §. 11.
(26) Sigon. de Regn. Ital. lib. 1.

Langobardorum in Italia regnum coepit (1). Sub idem tempus, aut non multo post, Zotho Langobardorum dux Beneventi potitus est: atque initium Beneventano ducatui dedit (2). Tum Alboinus, sequutique Langobardi reges, & duces identidem victricia arma protulere, ut Italiam paene omnem Langobardo regno adjicerent; nisi quod insula Sicilia, exarchatus Ravennae, ducatus Romanus, Neapolitanus, Cajetanus, & Amalfitanus, & pleraeque Apuliae, & Brutiorum maritimae urbes in orientalis imperatoris fide manserunt (3).

At anno 751. Astolfus Langobardorum rex regni fines prolaturus Ravennam expugnavit, pulsoque Eutichio exarcha omnem exarchatum subegit. Tum audentior factus Romanum ducatum aggressus est: periculo commotus Stephanus III. summus pontifex opem a Pipino Galliarum rege expetivit: is anno 755. subsidio pontifici venit, Romanum ducatum liberavit: & Ravennae exarchatum occupavit: easque regiones bello partas pontifici concessit (4).

Mor-

(1) Sigon. de R. I. lib. 1. Paul. diac. de gest. Lang. lib. 1. cap. 25.

(2) Murat. ad ann. 571.

(3) Paul. Warnefr. lib. 3. cap. 33.

(4) Anast. Biblioth. in Steph. II. Murat. ad an. 752. & 755.

Mortuo Astolfo Desiderius successor exarchatum recepturus pleraśque exarchatus, & Romani ducatus urbes oppugnare coepit: ea re Hadrianus I. summus pontifex ad Carolum Magnum Pipini filium, qui postea occidentis imperator salutatus est, confugit. Carolus anno 774. pontifici opem laturus Desiderio bellum intulit: eumque Ticini deditione captum cum uxore, & liberis in Galliam deportavit (5). Atque ita Langobardorum regnum desiit, regnumque Italiae, quod antea Langobardis regibus parebat, ad occidentale imperium pertinuit: insula vero Sicilia, & reliquae Italiae orientalis regiones, quæ Constantinopolitano suberant imperatori, in priori statu manserunt. Id ad undecimi saeculi initia, ad adventum scilicet Normannorum duravit, de qua re inferius dicendum.

Sed antequam de Normannis dicere incipiam, exponenda est regiminis forma, & leges, quae interea in Italia obtinuerint; quae res ad consuetudinum feudalium, & nostrarum legum intelligentiam non parum conducit. Et quoniam, ut dictum est, Italiae pars aliqua Constantinopolitano imperatori, maxima vero Langobardis paruit; quae regiones Constantinopolitano imperatori suberant, eae a ducibus, atque exarcha guberna-

(5) Anast. Biblioth. in Hadr. I. Murat. ad ann. 774.

nabantur, qui domi, militiaeque praeerant, quique ab eodem imperatore deligebantur, atque ab ejus arbitrio pendebant. At ubi anno 751. exarchatus Ravennae deletus est, Graeci duces prope summa potestate uti, atque in eos imperatoria coepit vilescere auctoritas. Legibus quoque, quae in Oriente obtinebant, vixere, nempe Justinianeis primum, deinde Basilicis; nisi quod ducatus Romanus, & Ravennae exarchatus Justinianeas leges semper retinuerint, quoniam ubi codex Βασιλικων editus est, orientali fuerant avulsi imperio (6).

Iis vero regionibus, quae in Langobardorum potestatem venerant, Langobardi duces praefuere, qui Alboinum regem comitati sunt, quique ab eo regendis provinciis bello partis praefecti sunt. Hi pariter & rei militari, & civili praeerant. Id sub Clesi Alboini successore pariter obtinuit. At eo interemto Langobardi regnum exosi sine rege agere instituerunt ducibus summa potestate usis, donec post decennium belli necessitatibus exigentibus Autharim regem crearunt. Is urbes, provinciasque dominio supremo sibi reservato ducibus permisit, quas ad stirpem virilem transmitti voluit: redituum, quae inde proveniebant, medietatem sibi, medietatem ducibus concessit (7).

Quum

(6) Struv. in hist. jur. cap. 5. §. 6.
(7) Sigon. de Regn. Ital. lib. 1.

Quum autem duces late patentibus regionibus dominarentur, comites, qui sibi subessent, crearunt, qui singulis urbibus, aut minoribus regionibus praefecti essent; fuere tamen quidam comites, qui uni regi suberant, ab eoque creabantur. Comites perinde, ac duces domi, militiaeque praeerant: & urbium, pagorumque reditibus, ut domini fruebantur; quae ususfructus forma dominio proxima e Germanorum moribus orta est, atque a nostris scriptoribus utile dominium nuncupatur. Civibus quoque seu in criminum, seu in pecuniariis caussis assidentibus scabinis sine provocatione jus dicebant; nisi quod interdum a comitum placitis (ita eorum judicia nuncupabantur) ad duces, a ducum ad regem extra ordinem provocaretur (8).

Comitibus sculdasii, qui & centenarii dicebantur, subjecti fuere, qui in singulis pagis, vicisque minores pecuniarias caussas definiebant, & leviora delicta coërcebant. Ab horum sententiis ad comites ordinaria fuit appellatio (9).

Pagis, vicis, villis, aliisque reditibus regi reservatis gastaldi, seu gastaldii praefecti sunt. Horum praecipuum munus fuit regios fun-

(8) Lib. 2. L. L. tit. 44. L. 4. & tit. 53. L. 2. 5. & 6. Pecchia de orig. M. C. V. differt. 1. §. 15.
(9) Lib. 2. L. L. tit. 53. L. 4. & 10.

fundos procurare, pecuniamque colligere, & adservare: sed si usus venisset, de pecuniariis caussis, levioribusque delictis cognoscebant; & quotannis vel certam pecuniae summam, vel certi praedii fructus pro mercede capiebant. Id muneris annuum fuit, sed interdum eis a rege prorogabatur (10).

Verum ea rei Langobardae administratio occidentalem, seu Transtyberinam Italiam spectavit: nam in orientali, seu Cistyberina Langobardi aliter rem instituerunt. Omnis enim Cistyberina Italia, quae hodie est regnum Neapolitanum, seu Apuliae (si urbes, regionesque, quae Constantinopolitano suberant imperatori excipiantur) Beneventano duci paruit. Is seu sua potentia fretus, seu quod suis opibus tantam dominationem quaesiverat, prope summa auctoritate usus est: etenim nec leges tulit, nec numos cudit, nec regia insignia usurpavit; caetera tamen majestatis juribus usus est, ut pacem, bellum, foedera injussu regis faceret: ab ejus placitis ne extra ordinem quidem provocatio ad regem fuisse videtur: nec missi regii, qui de statu reipublicae cognoscerent, admissi, quum nunquam in veteribus monumentis eorum mentio occurrat. Immo crediderim nullam redituum partem, qui ex publicis fundis Cistyberinae Italiae proveniebant,

(10) Lib. 1. feud. cap. 2. Pecchia differt. 1. §.16.

bant, ad regem pertinuisse, quod nulli apud nos fuerint regii gastaldi, qui eos procurarent (11).

Nulli in hoc Beneventano ducatu, nisi unus, & alter ex singulari merito Capuae comes creatus occurrit: sed pro comitibus gastaldi singulis provinciis praefecti fuere, quorum munus annum duravit, nisi a Beneventano duce eis prorogaretur: atque in eo situm fuit, ut fundos, & reditus ducis administrarent, & sine provocatione in facinorosos animadverterent, & civiles controversias terminarent. His de more sculdasii subjecti fuere (12).

Quumque Beneventani duces prope summa potestate uterentur, ubi Carolus Magnus anno 774. devicto Desiderio, ut ante dictum est, Langobardorum, & Italiae regnum occupavit; Arechius, qui tunc Beneventi dominabatur, indignatus exteris regibus parere, principis nomen, insignia, & jus adsumsit, numos cudit, leges tulit, & quo augustiorem se redderet, plerosque comites creavit (13).

At anno 840. occiso Sicardo V. Beneventi principe Beneventani Radelchisium elegere Siconolfo defuncti fratre posthabito: Saler-

(11) Pecchia differt. 2. §. 3.
(12) Pecchia loc. cit.
(13) Ciarlant. lib. 1. cap. 11.

lernitani Siconolſum principem ſalutarunt. Hi inter ſe decennium integrum de principatu armis decertarunt, donec Ludovicus II. imperator rem ita compoſuerit, ut Beneventanus principatus Radelchiſio Salernitanus Siconolfo cederet. Interea Landulfus Capuae gaſtaldus comitis nomen adſumſit, ſed pro comite principem egit, obſequio Salernitano principi denegato; donec Pandulfus, qui caput ferreum dictus eſt Capuanum principem ſe ſalutari curarit. Id vulgo ſequuti Camillum Peregrinum, & auctorem hiſtoriae civilis (14) Othonis Magni imperatoris auctoritate putant factum, qui anno 963. Pandulfum Capuanum principem renunciarit. Sed ipſe conjicio, ex quo tempore Atenulfus, ſucceſſoreſque Capuani comites Beneventi imperitarunt, principes dictos: nomenque Pandulfum, & ſucceſſores, qui ſoli Capuae praeerant, retinuiſſe. Sic Beneventana dominatio tripartita eſt in principatum Beneventanum, Salernitanum, & Capuanum, comitumque numerus multiplicatus eſt.

Verum hi Ciſtyberini comites multum a Tranſtyberinis diſtabant: nam Tranſtyberini non ſolis urbium, pagorumque reditibus fruebantur, ſed etiam crimina plectebant, & civiles lites dirimebant, quum contra Ciſty-
beri-

(14) Peregr. in hiſt. princ. Lang. tom.5. Auct. hiſt. civil. lib. 8. cap. 1.

berini solis reditibus contenti jurisdictione abstinerent, & imperio: ea enim ad gastaldos spectabant. Hinc in una eademque urbe saepe comes, & gastaldus occurrit, quorum ille reditibus fruebatur, hic jurisdictione utebatur, & imperio. Sensim tamen quibusdam comitibus jurisdictio, & imperium demandata, quare ii dicti sunt dignitate comites, munere gastaldi. Praeterea Transtyberini comites jus, & dignitatem decedentes liberis relinquebant: Cistyberini nequaquam. Sed procedente tempore comitis dignitas cum jure percipiendorum redituum aliquibus, eorumque familiae concessa est; iique appellati sunt comites & domini. Ita rem omnem perbelle unus exposuit vir eruditissimus Carolus Pecchia (15).

Jam ad leges venio, quae in iis regionibus, quae Langobardis parebant, obtinuere. Et principio Langobardi Germanicae originis gens, & belli magis, quam legum studio dedita, jure scripto usa non est, sed mores, & populi instituta pro legibus habuit; donec Rotharius septimus Langobardorum rex in comitiis ducum, comitum, & judicum primus leges tulerit, quas edicto publicavit anno 643. quem morem sequuti reges tenuere, quare pari modo leges tulere Gri-

B moal-

(15) Pecch. in hist. M. C. V. lib. 1. cap. 12. & diss. 2. §. 3.

moaldus, Liutprandus, Rachis, & Astolfus (16). Immo ubi regnum Italiae ad occidentale imperium pertinuit, imperatores Occidentis, uti reges Italiae, & Langobardorum pari ratione leges tulere (17).

Harum non una collectio facta est: sed vulgatior in tres libros divisa, fortasse XII. saeculo edita est a Petro Diacono monacho Benedictino, qui Lotharii II. logotheta, exceptor, & chartularius fuit (18).

Arechius quoque, ubi Beneventanus princeps salutatus est, quo se imperatori Occidentis minime subesse significaret, leges in comitiis procerum, & judicum tulit; quod exemplum Adelchius sequutus est. Has leges, quae in codice legum Langobardarum non exstant, una cum tribus foederibus Beneventanorum principum legere licet apud Camillum Peregrinum (19).

Hae vero Langobardae leges non omni populo, qui Langobardorum suberat dominationi, latae sunt, sed solis Langobardis; veteres Itali Romanis legibus vixere; quod ex ipsis Langobardis legibus satis intelligitur. Nam Liutprandus aperte professus est se

(16) Murat. R. I. tom. 1. lib. 2.
(17) V. Codic. L. L.
(18) Struv. in hist. jur. cap. 5. §. 5. Auctor H. C. lib. 10. cap. 11.
(19) Peregr. in hist. princip. Lang.

se legem de morgencaba, & de relictis uxori a viro suis Langobardis dedisse (20). Idcirco idem rex jussit, ut tabelliones seu scribae pro contrahentium conditione, & lege, qua viverent Langobarda videlicet, vel Romana, chartas scriberent (21): atque ut filii patris, uxor viri lege viveret (22). Et Lotharius imperator constituit viduam lege viri esse solutam, atque ad priorem suam legem reverti debere (23).

At sensim Langobardi juris crevit auctoritas: nam praeter Langobardos veteres Itali, qui beneficia habebant, aut munera, vel ministeria apud regem, duces, & comites, immo & primores, & ditiores quique jure Langobardo vivere instituerunt. Quo factum, ut sola plebs, ecclesiae, & clerici jure Romano viverent (24). Quocirca Lotharius, quo certius constaret, qua quisque lege viveret, interrogandum praecepit, qua vivere vellet (25).

Romani juris nomine, quo Italia usa est, plerique codicem Theodosianum, & Aniani breviarium denotari putant, non Justiniani

(20) L. L. Lib. 2. tit. 4. L. 1. & L. 4.
(21) L. L. lib. 1. tit. 29 L. 2.
(22) L. L. lib. 2. tit. 5. L. 1. & lib. 2. tit. 7. L. 1.
(23) L. L. lib. 2. tit. 7. L. 2.
(24) L. L. lib. 3. tit. 1. L. 37.
(25) L. L. lib. 2. tit. 58. L. 1.

leges (26). Sed ipse contra sentio Italos, qui jure Romano vivebant, Justinianeas leges observasse (27). Ejus rei plura sunt argumenta: nam primo Langobardi veteribus Italis pristinas leges reliquere: hi vero alias, quam Justinianeas, non habebant, quippe quibus septemdecim minimum ante annis fuerant adsueti. Immo in orientali Italia longe antea Justiniani leges, & dominatio coepit; scilicet ab anno 536. & multo tardius Langobardorum dominatio constituta est, nempe circa annum 589. (28). Deinde si extinctas Justiniani leges fingamus, intelligi nullo modo potest, qua ratione duodecimo saeculo revixerint. Praeterea, quum potissimum ecclesiae, & clerici jure Romano vixerint, fieri nullo modo potuit, quin Iustinianeo uterentur: nam clerici, & ecclesiae summo pontifici adhaerebant, cum primis orientalis Italiae, quorum erat metropolitanus, eumque saepissime consulebant: summus vero pontifex, ut & omnis Romanus ducatus Justiniani leges custodiebat, ut patet ex epistolis summorum pontificum, potissi-

(26) Auct. H. C. lib. 4. cap. 6. Pecchia in hist. M. C. lib. 2. cap. 27.

(27) Struv. hist. jur. cap.5. §. 7. Conring. hist. jur. German. cap. 20.

(28) Auct. H. C. lib. 4. cap. 1.

simum Gregorii Magni, & Joannis VIII. (29).

His certiora accedunt, quod Astolfus praescriptionem triginta annorum probarit, ubi ecclesiae cum Langobardis negotium esset: quadragenalem vero, ubi eae inter se contenderent, quod jure Romano uterentur (30): ecclesiis vero nonnisi quadragenalem praescriptionem objici jure Justinianeo cautum constat (31). Quod Henricus II. imperator, ubi clericis jusjurandum calumniae remisit diserte Justinianum, ejusque leges laudarit (32). Et denique, quod, ubi coram Liutprando primum, deinde coram Astolfo de quibusdam ecclesiis, & monasteriis controversia agitata est inter Senarum, & Aretii episcopos, quorum paroeciae in Spoletano ducatu fuere; litigatores non ad codicem modo, sed ad pandectas quoque Justiniani provocarunt (33).

Hinc sequitur, si alibi jus Justinianeum valet, quatenus receptum; in nostra Italia valere, quod illud tanquam propriam possessionem semper retinuerit. Quanquam non nega-

(29) Greg. Magn. lib. 11. epist. 53. & lib. 12. epist. 51. Joan. VIII. epist. 116. Altes. rer. Aquit. lib. 3. cap. 16.

(30) L. L. lib. 2. tit. 35. L. 11.

(31) Novel. 131. cap. 6. Auth. quas actiones C. de Sacrosf. Eccles.

(32) L. L. lib. 2. tit. 48. L. 11.

(33) Murat. Ant. Ital. diss. 34. & 74.

gaverim per ea ignorantiae tempora hoc jus magis usu, & moribus constitisse, quam scripto. Ejusque juris in ducatu Romano, & Ravennae exarchatu semper praecipuus usus fuit prae iis regionibus, quae Langobardis parebant: atque in his perinde, ac in illis codicis, & novellarum frequentior, pandectarum fere nullus, earum studio temporum barbarie paene consopito (34).

CAPUT III.

Historia regni Neapolitani a Normandis ad Andegavos.

LAngobardorum dominationi in Cistyberina Italia Normanni finem attulere, & regnum Neapolitanum constituere. Undecimo enim saeculo ineunte, quum quidam Normanni Hierosolymis redeuntes strenue ad Salernum cum Saracenis conflixissent, eosque fudissent; a Guaimario III. Salernitano principe rogati sunt, apud se manerent: sed ii Neustriam reduces inde cum Osmundo, Rainulfo, Asclittino, aliisque Salernum revertere. Hi initio sub Langobardis principibus, & Graecis ducibus meruerunt; donec Rainulfus sibi urbem extruxerit, in eaque dominari coeperit comitis nomine; seu locum

(34) Struv. in hist. jur. cap. 5. §. 7.

cum extruendae urbi, & comitis dignitatem a Sergio Neapolitanorum duce impetraverit, ut vulgo tradunt: seu potius ipse sibi & locum condendae urbi, & comitis nomen sumserit non repugnante Sergio, qui eum comitem agnovit, uti & agnovit Conradus Salicus imperator. Id factum circa annum 1038. & 1039. Condita urbs Aversa nuncupata, quod Capuae adversa esset (1).

Haud multo post quamplures alii Normanni a Rainulfo, ut ferunt, acciti huc venere, in quibus principes fuere Guillelmus, Drogo, Umfredus, aliique Tancredi Altavillae comitis filii. Hi quoque initio sub Langobardorum, Graecorumque signis militare: tum Graecis infensi, quoniam, quum in Sicilia strenue adversus Saracenos militassent, male de se illi meriti essent, anno 1040. Graecas in Apulia urbes, & pagos oppugnare, eaque subigere coepere; quae inter se se partiti sunt: & Guillelmum fortissimum militem, ea re Ferribrachium appellatum, principem delegerunt, comitemque salutarunt (2). Tum validiores facti Langobardis bellum intulere, plurimasque & Langobardorum, & Graecorum urbes, pagos, & oppida in suam potestatem redegere. Idem fecit Rainulfus Aversae comes, cujus suc-

(1) Auct. H. C. lib. 9. cap. 1. Murat. ad an. 1029.
(2) Auct. H. C. lib. 9. cap. 2.

ceſſor Riccardus anno 1062. Capuanum principatum occupavit (3).

Guillelmo Drogo frater ſucceſſit. Drogoni Umfredus. Is anno 1057. deceſſit Bagelardo, ſeu Abailardo filio pupillo relicto, cujus tutelam quaſi adminiſtraturus Robertus Guiſcardus Umfredi frater conſanguineus Apuliae comitatum occupavit: ejuſque fines adeo protulit, ut paulatim univerſae paene Apuliae, Brutiorum, Salernitani, & Beneventani principatus fuerit potitus: reliquoſque Normannos ſibi ſubegerit, ducis aſſumto nomine. Quare Leo Oſtienſis inquit: *Diverſis licet temporibus totam terram, univerſoſque partium illarum Normannos, praeter Riccardum ſuo ſubdidit dominatui* (4). Tum reliquam Apuliam, & Brutios, & denique Siciliam domuit, cujus inſulae comitem Rogerium Boſſum fratrem renunciavit.

His temporibus Neapolitani Regni pontificiae inveſtiturae coepere. Etenim Leo IX. ſummus pontifex Normannis parum aequus, quod de eorum crudelitate, atque iniquitate frequentes ad ipſum querelae eſſent delatae, illos delendos, Italiaque pellendos deliberavit. Quare anno 1053. iis bellum intulit: ſed ab Umfredo fortiter repulſus, praelioque in Lucania victus, & captus eſt. Is belli

(3) Murat. ad ann. 1062.
(4) Oſtien. lib. 3. cap. 16.

belli jure abstinens pontificem Beneventum cum honore reduxit: pontifex cum eo pace inita ipsi, quae bello quaesiverat, pontificia auctoritate confirmavit. Hinc scribit Malaterra: *Omnem terram, quam pervaserat, & quam ulterius versus Calabriam, & Siciliam lucrari posset, de Sancto Petro hereditali feudo sibi, & heredibus suis possidendam concessit* (5). Quumque Benedictus X. summus pontifex iterum Normannos Italia pellere constituisset, eo mortuo Nicolaus II. successor anno 1059. pacem cum Roberto Guiscardo pepigit: eique Apuliam, & Calabriam, quas regiones nondum plene quaesierat, ac Siciliam, quam insulam occupare meditabatur, pontificia auctoritate permisit: eumque Apuliae, Calabriae, & Siciliae ducem renunciavit. Quare Guillelmus Appulus

Robertum donat Nicolaus honore ducali.

Robertus contra censum pontifici, & fidelitatem promisit. Is pontifex, uti Roberto Siciliae, ita Riccardo, qui Rainulfo successerat Capuani principatus occupationem indulsit (6). Hujusmodi concessiones eidem Roberto Gregorius VII. summus pontifex anno 1080. confirmavit (7). Ve-

(5) Malat. lib. 1. cap. 14.

(6) Ostiens. lib. 3. cap. 16. Chronic. cavens. ad ann. 1059.

(7) Card. de Arag. in Gregor. VII. Baron. ad an. 1080. Murat. ad an. 1053. 1059. & 1080.

Verum eae pontificiae concessiones pro feudalibus investituris haberi nullo modo possunt, quum nihil de suo pontifices largiti sint: immo saepissime id indulgebant, quod neque ipsi, neque ii, quibus concedebatur, tenebant, sed omnino erat alienum. Census vero neque dominii, neque feudi, ne oblati quidem, argumentum est: sed devotionis, & patrocinii, potissimum, quod ea aetate etiam privati, qui se potentiorum patrocinio commendabant, annuum censum eis promitterent (8). Ideo autem ejusmodi pontificiae concessiones avide expetebantur, & census a regibus, & principibus libenter promittebantur, quod iis quid juris in ea, quae bello quaesiverant, sibi tribui crederent, vel saltem credi vellent: justioremque fieri pontificia auctoritate adquisitionem, quasi injuria occupationis cum censu, qui pontifici solveretur, pensata: tutioremque possessionem pontificio patrocinio. Quod in caussa fuit, cur paene omnes christiani reges, & principes censum pontifici promiserint.

Ad haec quoque tempora pertinet Siculae legationis origo. Etenim, quum anno 1098. Urbanus II. summus pontifex Robertum Trajanopolitanum episcopum in Sicilia legatum constituisset, Rogerius comes, quod se inscien-

(8) Roffred. Benevent. tract. de ord. judic. tit. de vassallis.

sciente id factum esset, pontifici succensuit: pontifex, ut Rogerio obsequeretur, Roberto legationem ademit: Rogeriumque, ejusque successores summi pontificis legatos esse voluit. Ex quo tempore Siculi reges jure pontificiorum legatorum usi sunt (9).

Sed ad Normannorum historiam redeamus. Roberto Guiscardo Rogerius filius: Rogerio Guillelmus nepos successit. Guillelmus anno 1127. decedens Rogerium Rogerii Bossi Siciliae comitis filium habuit successorem; qui tanta dominatione auctus comitis, & ducis nomine minime contentus regium titulum, & dignitatem exoptavit, & ab Anacleto pseudopontifice anno 1130. obtinuit. Eum honorem illi Innocentius II. summus pontifex post novennium confirmavit, quum bello victus a duce Rogerio ad patrem Rogerium regem captivus ductus fuit (10). Interea & Capuanum principatum, & Neapolitanum ducatum adeptus est. Etenim anno 1134. Roberto II. Capuae principe pulso, omnem principatum in suam potestatem redegit. Sergius quoque Neapolis dux primum anno 1131. tum anno 1134. sponte se Rogerio regi dedidit: denique anno 1139. eo mortuo Neapolitani seu Ansusum, seu Rogerium Rogerii re-

(9) Malat. lib. 4. cap. 26. Auct. H. C. lib. 10. cap. 8. Murat. ad an. 1098.

(10) Falco Benevent. in chron. Murat. ad an. 1139.

regis filium sibi ducem delegere (11). Atque ita omnis orientalis Italiae, Siciliaeque potitus est, & Neapolitanum regnum, quod regnum Siciliae nuncupabatur, constitutum est.

Rogerius anno 1154. moriens Guillelmo filio, qui malus dictus est regnum tradidit: Guillelmus anno 1166. alteri Guillelmo filio, qui bonus nuncupatus est. Is Guillelmus II. quum anno 1189. sine liberis decederet. Henrico VI. imperatori amitae Constantiae viro regnum reliquit. At Tancredus, qui nothus fuerat Rogerii ducis filii primogeniti regis Rogerii, Siculorum opibus regnum occupavit. Is paulo post, scilicet anno 1194. defunctus successorem habuit Guillelmum filium, qui III. dictus est. Tunc Henricus, qui antea parum secunda fortuna decertaverat, iterum Guillelmo bellum intulit, praelioque victor rerum potitus est, atque eum cum matre Sibilia captivum Germaniam misit. Is non multo post, nempe anno 1197. ex humanis excessit Friderico filio impubere relicto, qui primum in Constantiae matris, deinde ea mortua in Innocentii III. summi pontificis tutela fuit (12).

Fridericus, qui postea imperator electus, Fri-

(11) Auct. H. C. lib. 11. cap. 1. Murat. ad an. 1131. 1134. & 1139.
(12) Auct. H. C. lib. 11. ad 14.

Fridericus II. dictus est, anno 1250. vita functus est Conrado filio regni successore relicto. Is post quadriennium defunctus est, eique Conradinus filius impubes successit. Ejus tutelam (balium nuncupabant) & pro eo regnum Manfredus administrabat, quum ille apud matrem in Germania moraretur. Quumque non multo post rumorem sparsissent Conradinum ex humanis excessisse, Manfredus se regem salutari curavit, suoque nomine imperitare coepit: imperiumque, adhuc palam facta Conradini incolumitate retinuit.

At quum Urbano IV. qui Suevis minus favebat, Manfredi dominatio displicuisset, Carolum Andegavum Provinciae comitem e Gallia excivit: eique Neapolitani regni investituram concessit. Carolus anno 1266. Manfredo bellum intulit: exercitum ad Beneventum fudit; Manfredum confodit: & regni potitus est. Atque ita regnum Neapolitanum a Normannis, & Suevis ad Andegavos translatum est (13).

Sed antequam de Andegavorum regno dicam, Normandorum, & Suevorum instituta, & leges narrandae sunt. Et quidem initio Normanni sine jure certo, sine lege certa agere instituerunt: sed urbibus, pagisque devictis, quae inter se se partiti sunt, veluti.

(13) Auct. H. C. lib. 14. ad 19.

luti reges, ne dicam, veluti tyranni, imperitarunt, eorum arbitria, & libidines pro jure, & legibus erant. Principem in belli consiliis habuere Guillelmum Ferribrachium, Drogonem, Umfredum; caetera auctoritate pares fuere. At ubi Robertus Guiscardus a Nicolao II. Apuliae, Calabriae, & Siciliae dux renunciatus est, seu quod aliquid juris sibi in socios adjungi videretur, seu quod suae prae sociorum viribus essent validiores, eos sibi fidelitatem jurare curavit, atque ad suum obsequium adigere (14). Urbesque, & pagos, quae Graecis eripiebat, suis Normannis jurata fidelitate concedebat. Quas vero Langobardis auferebat, earum urbium partem ipsis Langobardis simili praestito jurejurando relinquebat: partem suis Normannis pari jure tribuebat; horumque plerosque comitis honore decoravit: praecipua, atque opulentiora oppida sibi servabat. Sic apud nos feuda fuere instituta, feudatariorumque numerus multiplicatus; de qua re fortasse alibi dicemus.

Prudenti tamen consilio his comitibus, & baronibus solos fundorum fructus, & reditus reliquit: jurisdictionem, & imperium, quasi ne a belli studio avocarentur, ademit, judicibus in omni ditione creatis, qui in facinorosos animadverterent, & civiles contro-
ver-

(14) Ostien. lib. 3. cap. 16.

versias definirent, qui fortasse bajuli, vel ballivi dicti sunt. Omnibus judicibus ipse praeerat prudentioribus proceribus, & baronibus in consilium adhibitis, quae curia ducis, & magna curia dicta est, quae Salerni videtur constituta (15). Idem hoc institutum amplexi sunt Riccardus Capuae princeps, & Rogerius magnus Siciliae comes: is enim prope summa potestate utebatur. Quare non modo Salerni magna curia ducis, sed & Panormi magna curia comitis, & Capuæ magna curia principis fuit; (16) quemadmodum non modo in Apulia, & Brutiis judices cum jurisdictione, & imperio a duce, sed etiam in Sicilia a magno comite, & in Capuana ditione a principe delecti. Idcirco nulla sub Normannis gastaldorum, aut sculdasiorum mentio occurrit. Quare controversia inter Landenulfum Caleni comitem, & Casinense monasterium non coram gastaldo, sed coram Suessanis judicibus tractata perhibetur (17).

Quamvis vero comitibus, & baronibus imperium, et jurisdictio essent ademta; tamen interdum quibusdam ex merito extra ordinem jurisdictio concedebatur; quod jam a Rogerii comitis aetate fieri coeptum (18). Tum re-

(15) Murat. ad ann. 1098.
(16) Pyrrh. Sicil. sacr. lib. 2. not. 10.
(17) Petr. diac. in suppl. ad Ost. lib.3. cap.41.
(18) Pyrrh. Sicil. sacr. lib. 2. not. 10.

regnante Friderico II. in jus ordinarium migravit, ut baronibus jurisdictio concederetur, hoc est, ut bajulum constituerent, & judicem ex iis, quos rex probaverat deligerent, ad pecuniarias lites dirimendas: & multarum, poenarum, & sportularum emolumenta caperent (19).

At ubi omnis orientalis Italia, & Sicilia in Rogerii regis potestatem pervenit, is rerum potitus, regio adsumto nomine, & pace cum summo pontifice facta ad regnum constituendum, suamque auctoritatem firmandam animum convertit. Idcirco anno 1140. comitiis Ariani habitis principio jura omnia regalia sibi vindicavit: nec ab aliis teneri posse voluit, nisi beneficii, seu feudi jure: eaque de caussa eos ad militaria servitia regi esse obligatos, (20). Hinc omnes feudorum concessiones recensuit, easque vel confirmavit, vel infirmavit, atque in tabulas referri curavit (21). Deinde magistratus creavit, nempe justitiarios, qui in facinorosos animadverterent, & camararios, qui publicae pecuniae, & juri dicundo in pecuniariis caussis praeessent. Hinc Romualdus Salernitanus scribit: *Rex autem Rogerius perfectae pacis tranquillitate potitus pro componenda pace*

(19) Const. de quaestionibus.
(20) Const. scire volumus.
(21) Falcand. apud Murat. R. I. tom. 7.

pace camararios, & justitiarios per totam terram instituit : malas consuetudines de medio abstulit (22).

Tum novis comitiis Panormi habitis magnam curiam reformavit : etenim ex tribus magnis curiis, Salernitana, Capuana, & Panormitana unam Panormi instituit : eamque ut augustiorem redderet, septem supremos magistratus, qui septem regni officia dicti sunt, creavit; qui una cum baronibus, proceribus, praelatis, delectisque judicibus magnam curiam constituerent (23). Sed de ea re libro primo, ubi de magistratibus dicam, sermo redibit.

Guillelmus primus vero accuratius cujusque magistratus potestatem finivit, fortasse, quod singulorum nondum esset satis discreta : & quod ballivi adhuc pergerent in facinorosos animadvertere : nam eo rege occurrit Laurentius Mediolanensis miles, qui erat ballivus per totam Campaniam, & duas arces procurabat (24). Guillelmus igitur, ut magistratuum munia distinguerentur, justitiariis capitales caussas, camarariis pecuniarias ad-

C tri-

(22) Romual. Salern. ad ann. 1140. Murat. R. I. tom. 7.

(23) Falcand. apud Murat. R. I. tom. 7. Pyrrh. Sicil. sacr. not. 1.

(24) Chron. Fossae novae ad ann. 1187. apud Murat. R. I. tom. 7.

tribuit: ballivos camarariis ſubeſſe voluit (25); Neapoli vero comitem palatii reliquit, qui compalatius dicebatur: Salerni, & Meſſanae ſtrategos, qui corrupte ſtratigoti nuncupabantur, qui magiſtratus veteri more imperio uterentur, & jurisdictione (26).

Denique Fridericus II. magiſtratus omnes reformavit, eorumque officia diligentiſſime definivit (27): & judicia, quae antea ſolis verbis agitabantur, ſcripto fieri mandavit: judiciariumque ordinem ſtabilivit (28).

Jam ad leges Normannorum, & Suevorum venio. Et quidem primos Normannos ſcriptis legibus minime uſos antea dictum eſt; ſed ubi Robertus Guiſcardus Apuliae, Calabriae, & Siciliae dux ſalutatus eſt, ſin minus de privatis, ſaltem de publicis rebus leges tuliſſe clariſſimus vir, & de rei Neapolitanae antiquitatibus bene meritus Carolus Pecchia exiſtimat (29). Ejus tamen ſententiam ne ſequar, plura me movent: quod naſcenti nec ſatis firmato imperio armis potius, quam legibus fuerit opus: quod nullum apud ſcri-

(25) Conſt. Officia, Conſt. Officiorum periculoſa contutio, & paſſim lib. 1.

(26) Conſt. circa compilationes, al. circa compalatios.

(27) Conſt. non ſine grandi, & paſſim lib. 1.

(28) Conſt. edictorum ordinem, Conſt. citationis litterae, conſt. dilationes &c.

(29) Pecchia de O. M. C. lib. 1. cap. 16.

ſcriptores legum Roberti veſtigium occurrat, nulla in Normannorum regum conſtitutionibus mentio ; quas leges meminiſſe oportuiſſet, ſeu eas confirmarent, ſeu infirmarent, emendarentque : & denique quod veriſimile non ſit eum, qui ſocios callido conſilio ſibi ſubdiderat, illis aperte voluiſſe leges dare. Et, ſi Auguſtus, ſequutique imperatores, qui liberae reipublicae imperitare coeperunt, legibus pro arbitrio condendis abſtinuerunt, quanto magis Robertus idem conſilium ſequi debuit, qui liberis Regulis, ne dicam, tyrannis dominari incipiebat.

Primus igitur, quod conſtat, Rogerius rex leges tulit: ejus exemplum ſequutus eſt Guillelmus I. tum perpaucas Guillelmus II. & denique Fridericus II. plurimas edidit, quae conſtitutiones regni Siciliae dicuntur. Eaſque omnes in unum collegit opera Petri de Vineis ſummi juriſconſulti, qui ei erat a ſecretis, publicavitque anno 1231. ut optime rationes init auctor hiſtoriae civilis, atque una indictionis quartae, & quintae ſubnotatio ſatis indicat. His additae ſunt, ſuiſque locis collocatae a Taddaeo a Sueſſa, Roffredo Beneventano, Andrea ab Æſernia, & Bartholomaeo a Capua conſtitutiones, quas Fridericus poſtea ad annum 1250. promulgavit. In his neque Tancredi, neque Guillelmi III. conſtitutiones leguntur, ſeu quod eos

justos reges Fridericus non habuerit: seu quod ii brevi turbarum, bellorumque tempore nullas ediderint (30). Is codex manu scriptus in Graecam linguam versus in Parisiensi bibliotheca adservatur, ejusque exemplum in regis nostri scriniis una cum antiquissimo Neapolitanae editionis codice anni 1475.

Sed praeter has leges, quae a Normannis, & Suevis regibus universis Appulis, & Siculis latae sunt, ii etiam Romano, & Langobardo, quin etiam Franco jure vivebant. Fuit autem jus Francorum mores quidam, & instituta, e Salicis, & Ripuariorum potissimum legibus derivata, quibus Normanni cum primis utebantur. Hinc Guillelmus I. magistratus voluit jus dicere secundum regni constitutiones, *& in defectu earum secundum consuetudines adprobatas, ac demum secundum jura communia, Langobarda videlicet, & Romana, prout qualitas litigantium exegisset* (31). Communia jura Langobarda, & Romana nuncupat, seu spectatis Normannis constitutionibus, quae de peculiaribus juris articulis latae erant: seu jure Francorum, quod solos Normannos tenebat: seu consuetudinibus, quae in singulis urbibus, pagisque obtinebant.

At renatis duodecimo saeculo litteris Romani juris crevit auctoritas; quam apud nos non

(30) Auctor. H. C. lib. 16. cap. 8.
(31) Const. Puritatem.

non parum ſtabilivit Fridericus II. qui eo jure maxime delectabatur, abrogato jure Francorum, cujus vix unum, aut alterum articulum retinuit (32). Ex eo tempore Romani juris auctoritas creſcere, & Langobardi decidere; quamvis hujus reliquiae ad ſaeculum XV. & XVI. perdurarint (33). Immo pleraque adhuc apud nos ſuperſunt, quae ex eo jure deſcendunt, ut ſuis locis monebo.

Fabulam de reperto in Amalfitana expugnatione anno 1135. antiquiſſimo pandectarum codice nihil moror (34): etenim, ut vera ſit inventio, certe ea res ad ſtabiliendum potiſſimum apud nos juris Juſtinianei uſum minime pertinuit.

CAPUT IV.

Hiſtoria Regni Neapolitani ab Andegavis ad noſtra tempora.

AD hiſtoriam revertor. Carolus Andegavus anno 1266. ut dictum eſt, regno potitus nova vectigalia, & praeſtationes populis impoſuit: magiſtratus, & officia illis, qui obtinebant, fortaſſe, quod eis minus fi-

(32) Conſt. Speciale quoddam.
(33) Afflict. in conſt. Puritatem num. 9. Julius Ferrettus in add. ad Andr. Bonell. a Barulo.
(34) Murat. ad ann. 1135.

ſideret, abrogavit, & Gallis conceſſit. Quare offenſi noſtrates Conradinum-adoleſcentem ad regnum recuperandum ſollicitarunt. Is juvenili ardore percitus cum plurima militum vi adveniens anno 1268. in ipſo regni ingreſſu a regiis copiis exceptus fuſo exercitu victus eſt: quumque aufugiſſet, in itinere captus Neapolim miſſus fuit, & in cuſtodiam conjectus. Ejuſque cauſſa in conſilio baronum, procerum, & judicum tractata, quum judicium pro regis arbitrio exerceretur, quaſi affectati regni capitis damnatus eſt: eique VII. Kalendas Novembres eodem anno 1268. caput obtruncatum eſt (1).

At Siculi regiorum miniſtrorum injurias aegrius ferentes conjuratione facta poſtridie paſchatis anno 1282. Panormi Gallos omnes trucidarunt; quod exemplum reliquae inſulae urbes, pagi, & vici ſequuti ſunt, & Gallis interemtis omnes rebellarunt: & Petrum Aragonium Conſtantiae Manfredi filiae virum regem ſalutarunt. Ei rei peragendae Joannes a Prochyda Salernitanus, qui apud Petrum Aragonium ſummo in honore erat, ſtrenuam operam navavit. Sic inſula Sicilia, etſi Carolus I. & Carolus II. eam recuperare fruſtra tentaſſent, Neapolitano regno avulſa eſt(2).

Ea

(1) Capic. Latr. par. 4. lib.1. Auct. H. C. lib. 19. cap. 4. Murat. ad ann. 1268.

(2) Murat. ad ann. 1282. Auct. H. C. lib. 20. cap. 5.

Ea re Carolum regno abesse oportuit, seu ad bellum profecturum, seu ad duellum cum Petro Aragonio Burdegale in Gallia constitutum; quocirca Carolum filium Salerni principem, qui, quum patri successit, secundus dictus est, vicarium cum summa potestate constituit, cui a consiliis dedit barones, proceres, & jurisconsultos; quae origo fuit Magnae Curiae Vicariæ, de qua re inferius (3).

At anno 1285. Carolus I. quum Neapolim revertisset, & Carolum filium, quod imprudentius hostes fuisset insequutus, captivum apud Petrum Aragonium intellexisset, seu moerore confectus, seu sibi conscita morte occubuit (4).

Interea Giraldus Cardinalis, & summi pontificis legatus, & Robertus Atrebatensis comes, quem Carolus I. balium, & regni administrum reliquerat, simul cum Maria captivi regis uxore summae rei praefuere (5); donec anno 1288. Carolus II. Romani pontificis ope captivitate liberatus Neapolim revertit, regnumque recepit, quod ad annum 1309. tenuit. (6) Tum eo defuncto, quum de regno contenderetur inter Carobertum ne-

(3) V. infra lib. 1. cap. 1.
(4) Murat. ad ann. 1283. auct. H. C. lib. 20. cap. 9.
(5) Collenut. lib. 5. Auct. H. C. lib. 21. princ.
(6) Murat. ad ann. 1288. & 1309. Auct. H. C. lib. 21. cap. 2. & 4.

potem ex Carolo Martello filio primogenito Ungariae regem, & Robertum filium tertiogenitum, lis secundum Robertum a Clemente V. summo pontifice definita est. (7)

Eam pontificiam definitionem singulari animi moderatione regii liberi excepere; quare regnum Roberto permissum, qui ad annum 1343. regnavit, quum vita functus est herede relicta Joanna I. nepte ex filio Carolo Calabriae duce, qui patri fuerat praemortuus. (8).

Ea quum liberos non haberet, quumque Carolus Dyrrachinus regni investitura ab Urbano VI. summo pontifice obtenta illud esset vi repetiturus; ea, inquam, regnum Ludovico Andegaviae duci Caroli V. Galliarum regis fratri destinavit. Qua re offensus Carolus Dyrrachinus (is enim pronepos fuit Joannis fratris Roberti) bellum reginae intulit, Neapolim subegit, & reginam deditione captam necandam curavit, quod anno 1381, factum est, atque ita regnum ad alteram Andegavorum lineam translatum est (9).

Huic anno 1386. in Ungaria peremto Ladislaus filius successit, (10) qui anno 1414. decedens Joannam II. sororem heredem regni

(7) Constant. lib. 5. Bald. ad L. liberti 10. C. de oper. lib. n. 25.

(8) Murat. ad ann. 1343. Auct. H. C. lib. 22.

(9) Constant. lib. 7. Auct. H. C. lib. 23. cap. 5.

(10) Constant. lib. 8. Auct. H.C. lib. 24. cap. 2.

gni reliquit. (11) Ea, quum liberos non haberet, Alfonsum Aragonium adoptavit, regnique successorem designavit; quem post triennium ab eo alienata exheredavit, adoptato Ludovico III. Andegaviae duce, Ludovici, cui Joanna I. regnum destinaverat, nepote. (12) Is plures annos simul cum regina regnavit; sed anno 1434. ex humanis excessit: nec multo post, scilicet anno 1435. Joanna mortem oppetiit, testamento (ut ferebatur) herede instituto Renato Andegavo Ludovici fratre Lotharingiae duce, tunc temporis in Burgundia captivo. (13)

At Alfonsus veteris adoptionis jure regnum vi, et armis repetere, puresque urbes, & oppida capere: Cajetani, qui prae reliquis Renati partes sequebantur, obsistere: sed dum Alfonsus Cajetanos oppugnat, a Liguribus, qui suppetias Cajetanis venerant, capitur, & ad Mediolani ducem ducitur: interea Isabella pro Renato viro urbe Neapoli potitur. Alfonsus captivitate liberatus bellum instaurat, & sexennium integrum varia fortuna gerit; donec tandem anno 1442. regnum universum in suam potestatem redigit, & Siculo adjungit. (14)

Is

(11) Constant, lib.12. Auct. H.C. lib.24. cap.8.
(12) Constant.lib.14. Auct.H.C.lib.25.cap.3.& 4.
(13) Constant. lib.15. & 16. Auct. H.C. lib.25. cap. 6. & 7.
(14) Constant. lib.18. Auct. H.C. lib.25. cap.7.

Is obiit anno 1458. Neapolitanumque regnum Ferdinando filio, Siculum, & Hispanicum Joanni fratri, cui Simplicis cognomen, reliquit. Id ea de caussa factum, quod Ferdinandus ex justis nuptiis natus non erat, sed pater ei legitimorum jura dederat: eique vivens fidelitatem a Neapolitanis jurari curaverat, ut in reguo Neapolitano succederet. Sic iterum Neapolitanum a Siculo regno sejungitur. (15)

Ferdinandus ad annum 1494. regnavit, quum moriens regnum Alfonso II. filio tradidit. Is bellorum, & rebellionis metu Ferdinando II. filio regno cessit, atque in Siciliam concessit. Ferdinandus II. proximo anno defunctus successorem habuit Fridericum patruum, Alfonsi II. fratrem. (16) Hunc regno dejecere Ludovicus XII. Galliarum, & Ferdinandus Catholicus Hispaniarum, & Siciliae rex, Joannis Simplicis filius: sed orta inter Hispanos, & Gallos finium contentione bellum commissum est, victorque Ferdinandus Catholicus Gallos regno pepulit, universumque sibi subjecit. Atque ita iterum Neapolitanum Siculo regno accessit (17).

Ferdinandus Catholicus anno 1516. obiit, heredemque reliquit Joannam filiam, quae non

(15) Constant. lib.19. Auct. H.C. lib.26. cap.7.

(16) Auct. H. C. lib. 28. cap.2. & lib.29. cap. 2. & 3.

(17) Auct. H. C. lib. 29. cap. 4.

non multo poſt Carolum filium, Ferdinandi nepotem, qui electus imperator, quintus dictus eſt, collegam adſumſit. (18) Qui poſt longam dominationem tandem anno 1555. ut quietam vitam in monaſterio degeret, imperio Ferdinando fratri: Hiſpanico, Siculo, & Neapolitano regno Philippo II. filio ceſſit. (19) Hic anno 1598. decedens regnum Philippo III. filio tradidit. (20) Qui anno 1621. moriens Philippo IV. filio regnum reliquit. (21) Huic anno 1665. defuncto Carolus II. filius ſucceſſit. (22)

Carolus II. anno 1700., ſine liberis mortem obiit herede teſtamento inſtituto Philippo Borbonio, Andegaviae duce, qui poſtea quintus dictus eſt, primogeniti regis Galliarum Ludovici XIV. filio ſecundogenito. (23) Ea re inter Philippum Borbonium, & Carolum Auſtriae archiducem, qui poſtea Carolus VI. imperator fuit, Leopoldi imperatoris filium ſecundogenitum contentio, & bellum exarſit. Carolus agnatione nitebatur, quod in Auſtriaca familia proximior eſſet, majorum teſtamentis, atque

(18) Auct. H. C. lib. 30. cap. 1. Murat. ad ann. 1516.
(19) Auct. H. C. lib. 32. cap. 7.
(20) Auct. H. C. lib. 34. cap. 7.
(21) Auct. H. C. lib. 35. cap. 5.
(22) Auct. H. C. lib. 38. cap. 3.
(23) Auct. H. C. lib. 40. cap. 4.

que aviae, proaviaeque Philippi renunciationibus, quibus regnis cesserant maribus ex Austriaca familia. Philippus proximitatem cognationis allegabat, & Caroli II. testamentum. Sed, quum armis decertaretur, Philippus Gallorum ope Hispaniis, Sicilia, & Neapolitano regno potitus est: tum Carolus Hispanis, Italicisque regionibus Hispanici juris bellum intulit, plurimasque urbes, oppida, & regiones occupavit, donec anno 1707. Neapolitanum regnum devicit, Sicilia penes Philippum remanente. At anno 1713. & 1714. pace facta Neapolitanum regnum cum insula Sardinia Carolo cessit: Hispaniae Philippo: Sicilia Victorio Amedeo Sabaudiae duci; cui eam insulam Gallorum rex, ut ipsum a Caroli partibus abstraheret, a Philippo dandam curavit. (24) Novo deinde inter Philippum, & Carolum bello exorto anno 1720. Sardinia cum Sicilia permutata Siculum cum Neapolitano regno ad Carolum pervenit: duci vero Sabaudiae pro Sicilia Sardinia data est. (25).

Verum anno 1734. Carolus Borbonius Philippi V. ex secundis nuptiis filius, ut paterna jura experiretur, Carolo VI. imperatori bellum indixit, & Neapolitanum regnum cum Siculo recepit. Quam felicitatem no-

(24) Murat. ad ann. 1707. 1713. & 1714.
(25) Murat. ad ann. 1720.

nobis Deus optimus maximus ſervaverat, ut prudentiſſimi, juſtiſſimi, populorumque amantiſſimi regis praeſentia recrearet. Is quum anno 1759. Ferdinando VI. fratre ſine liberis defuncto ad Hiſpaniarum regna eſſet evocatus, Ferdinando filio tertiogenito, qui quartus dictus eſt, regno ceſſit; quem ſumma juſtitia, pietate, & ſingulari adverſus cives caritate regnantem ſummus Deus aeternum ſervet incolumem populorum bono regnaturum.

Nunc de inſtitutis, & legibus horum regum dicendum. Et magiſtratus quidem his temporibus inſtitutos indicaſſe ſufficiat, quum de iis libro primo pleniſſime ſit differendum. Ubi Carolus I. Andegavus regnare coepit, veteres magiſtratus omnes retinuit:. at amiſſa Sicilia pro iis, qui in ea inſula manſere alios Neapoli creavit, ibique aliam Magnam Curiam conſtituit. Et non multo poſt, quum eum abeſſe oportuerit Carolo Salerni principe vicario relicto, eique primariis viris adſeſſoribus datis, novum coepit tribunal, Magna Curia Vicarii, qua procedente tempore alteri magnae curiae unita tribunal factum eſt Magnae Curiae Vicariae. (26) Sub Andegavis quoque coepere capitanei, aut certe frequentior eorum uſus, qui ſingulis urbibus cum imperio praeeſſent, ut in facinoroſos ani-

(26) Auct. H. C. lib. 20. cap. 6. §. 2.

animadverterent. (27) Quae duae res fecere, ut comitis palatii, seu compalatii auctoritas deficeret.

Quum vero regnum ad Alfonsum Aragonium venit, tribunal Sacri Consilii institutum fuit; & Regia Camara reformata: (28) & Regiae Dohanae Apuliae fundamenta jacta. Praeterea Alfonsus pro lecto, atque imperato milite coepit stato, & mercenario uti, eaque de caussa baronibus pro milite pecunia indici, quae adoha dicta est. (29) Quumque annui carolini decem singulis domibus (focularia nuncupant) fuissent imperati, quibus rex quotannis medimnum salis daret; generalis bonorum omnium descriptio facta est, quae catastrum, sive catastum nuncupatur. (30) Tum Ferdinandus I. quum artem lanificii, & serici introduxisset, utriusque artis tribunalia constituit (31)

Regno deinde ad Ferdinandum Catholicum translato major rerum mutatio facta est. Etenim, quum regnum, cui antea reges ipsi praeerant, per vicarios adsessoribus datis admi-

(27) Cap. Item statuimus tit. quod solvatur pro litera &c.

(28) Auct. H. C. lib. 26. cap. 4. & 5.

(29) Joan. Andr. Georg. in repet. feud. cap. 56. num. 51. Tasson. de Antef. v. 4. obs. 3. num. 25.

(30) Auct. H. C. lib. 26. cap. 1.

(31) Auct. H. C. lib. 27. cap. 3. De Franch. decis. 722.

miniſtraret, Collaterale Conſilium inſtitutum eſt. (32)

Denique regnante Carolo Borbonio tria ſuprema tribunalia inſtituta ſunt, pro Collaterali Conſilio Regalis Camara Sanctae Clarae: tribunal Commercii, quod negotiationi praeeſſet: & tribunal Mixtum, ut de eccleſiarum, clericorumque immunitate judicaret. A Ferdinando IV. vero feliciſſimo noſtro rege tribunal Conſulatus terrae, & maris reformatum eſt, ejusque auctoritas aucta: & ſupremum ſacrarum largitionum Conſilium inſtitutum. Nec non extraordinarium Conſilium gravioribus clericorum delictis puniendis. De quibus omnibus ſuo loco dicemus.

Praeterea barones jurisdictione, & imperio a Roberto Guiſcardo exuti, & ſequenti tempore ad Fridericum II. jurisdictionem adepti, per haec tempora imperio aucti ſunt. Etenim initio principibus e regia familia viris urbes, oppida, pagi fructuario jure adſignari ſolebant, atque imperium eis tribui: ſic Manfredo Friderici II. notho Tarentina regio *cum omnibus juſtitiis* fuit adſignata, (33) hoc eſt, ut ipſe conjicio, cum imperio, & jurisdictione. Sic Carolus I. anno 1269. Carolo filio Salernitanam,

(32) Auct. H. C. lib. 30. cap. 2.
(33) Lunig. Cod. dipl. tom. 2. Auct. H. C. lib. 17. cap. 6.

nam, & Alesinam ditionem concessit cum jure strategi in sola Salerni urbe, quo in facinorosos animadverteret. (34) Sic denique Joanna I. Philippo Tarenti principi filio Philippi fratris Roberti regis jurisdictionem, & imperium impertita est: *Concedimus*, inquiens, *jurisdictionem criminalem cum mero, & mixto imperio, ac gladii potestate, eo modo, quo aliis regalibus in similibus casibus est concessum* (35).

Tum quibusdam baronibus ob meritum concedi coeptum, non quidem jure feudi, sed uti capitaneis ad vitam. Nam Joanna II. id ad vitam indulsit Ludovico Antonio Carafae in territorio S. Arpini, adhuc in ea parte, quae ad Neapolitanum S.Mariae Magdalenae, & ad Aversanum S.Pauli monasterium pertinebat: eoque mortuo idem jus Carafello Carafae Ludovici fratri, dum viveret, ab Alfonso I. Aragonio: tum Benedicto Carafae nepoti, & Joanni Carafae hujus filio a Ferdinando I. Aragonio fuit tributum (36).

Demum feudi jure imperium baronibus dari coepit. Quod fortasse ab Alfonso I. Aragonio fieri coeptum exemplum sequuto baronum Siculorum, qui jurisdictione utebantur, &

(34) Regestr. Carol. I. ann. 1269. fol. 106.
(35) Regest. 13. & 16. l. C. fol. 12.
(36) Pecchia diss. 2. §. 28.

& imperio; quod deinde in jus ordinarium migravit. Idque, ni fallor, sub Ferdinando I. usuvenit. Nam quum Angelo Como a Ferdinando I. feudi jure datum fuisset rus *Arcora* nuncupatum, in quo domos exstruxerat: & Caesar Bozzutus, qui Afragolae feudum tenebat, jurisdictionem in eo loco sibi adsereret, quod is locus in Afragolae territorio esset; post biennii litem res per arbitros composita est anno 1491. ut jurisdictione Comus uteretur, & imperio, ut videtur, in territorio Arcora solutis Bozzuto unciis triginta. Hanc transactionem idem Ferdinandus litteris firmavit anno 1492. in quibus legitur: *Vendidit omnem jurisdictionem civilem, & criminalem, quae ipsi Caesari competeret, & non illam, quae ad nos, & ad hanc civitatem Neapolis, & ejus districtum pertineret,* (22) Nisi quis criminalis jurisdictionis nomine non merum imperium, sed solam leviorum criminum coërcitionem denotari putet, quod fortasse postrema superiora verba indicare videntur. (37)

Dicendum modo de legibus, quae per ea tempora conditae fuere. Carolus I. Andegavus regnum adeptus leges tulit. Tulere & sequuti Andegavi reges, Carolus II. & quum vicarius regno praefuit, & quum ipse regnavit,

(37) Regest. Ferdinand. I.L.O. scant. 4. fol. 131. apud Chiaritum par. 3. cap. 1. de Arcu Pinto.

vit, Robertus, Carolus Calabriae dux, & regni vicarius, Joanna I. & Ladislaus; quae leges vocabulo Gallis usitato Capitula, seu capitularia dicta sunt: *chapitre* enim Galli conventum nuncupant, & interdum, quae in conventu aguntur; quare leges capitula, & capitularia appellabant, quod in baronum, & populi conventu conderentur. Ea capitula privata auctoritate ab incerto auctore in unum collecta sunt fortasse sub finem regni Andegavorum, nullo seu temporis, seu materiarum ordine servato. (38)

Huc tamen minime referenda sunt capitula Honorii papae. Nam, quum Carolus II. captivus in Hispaniis moraretur, & pontificius legatus una cum Roberto Atrebatensi comite, & Maria captivi regis uxore summae rei praeesset, Honorius IV. summus pontifex leges quasdam regno dedit, quae capitula papae Honorii dicuntur. Ea capitula nunquam apud nos pro legibus habita sunt; ideoque neque inter capitula regni, neque inter nostras leges unquam fuere relata. Et merito: nam, ut mittam, potueritne pontifex Neapolitanis leges ferre, an non; illud certum est, regi, quum revertit, integrum fuisse eas nequaquam probare. (39)

Prae-

(38) Auct. H. C. lib. 20. cap. 9.

(39) Auct. H. C. lib. 21. cap. 1. Montefort. ad Const. post mortem.

Praeter regni capitula Andegavis regibus debentur ritus Magnae Curiae. Etenim Joanna II. ut judicia reformaret, pleraque ab anno 1420. ad 1431. constituit: tum, ut rem omnem judiciariam ordinaret, quaecunque eo spectabant, in unum colligi curavit, seu ex Romanorum, seu ex decessorum legibus, seu ex inveteratis moribus descenderent: eaque servari voluit non in sola Magna Curia Justitiarii, & Magna Curia Vicarii, sed in omnibus regni tribunalibus. Is liber ritus Magnae Curiae Vicariae dictus est: ritum enim Latini dixere cujusque rei faciendae rationem, & formam. In iis ritibus pleraeque leguntur Andegavorum leges, veluti Caroli I. Caroli II. Roberti, Caroli Calabriae ducis, & cum primis ipsius Joannae II. quinimmo & una Isabellae uxoris Renati edita anno 1436. quae postea a nostris jurisconsultis addita est, quod rem judiciariam respiceret. Plurimi quoque usus judicii ordinem spectantes moribus introducti in iis ritibus confirmantur. (40)

Leges quoque condidere Aragonii, atque Austriaci reges maximam partem per vicarios, qui regnum administrabant: nec non Carolus, & Ferdinandus Borbonius, quos utrosque Deus sospitet. Hae omnes Graeco vocabulo pragmaticae nuncupantur, quasi leges de occurrentibus negotiis conditae: nam pragma-

(40) Auct. H. C. lib. 25. cap. 8.

ticae sanctiones, seu jussiones Romanis fuere leges, seu rescripta, quibus principes diligentiori tractatu habito precibus, consultationibus, vel relationibus respondebant. (41) Hujusmodi pragmaticae coepere initio ritibus Magnae Curiae subnecti, cumque iis una editum in dies earum crescente numero in separato volumine colligi: pluresque editiones fieri, quarum postrema quatuor voluminibus comprehensa anno 1772. prodiit; in qua & concinnior ordo, & plaeraque alia desiderantur, quae docti alicujus adjutrices manus expectant.

Quum autem Aragonii, atque Austriaci reges plurima urbi, & regno indulsissent; ea omnia (etsi maximam partem in pragmaticis continerentur) in unum collecta sunt. Et quae ab Alfonso I. Ferdinando I. Alfonso II. Ferdinando Catholico, Carolo V. & Philippo II. indulta sunt, in unum collegit Nicolaus de Bottis, ediditque anno 1558. Quae deinde idem Philippus II. Philippus III. Philippus IV. & Carolus VI. indulsere, altero volumine edita sunt, quod anno 1719. prodiit. Atque haec *gratiae & privilegia* urbis, & regni Neapolitani vulgo dicuntur. (42)

Praeterea Carolus Borbonius, & Ferdinandus filius felicissimi reges plurima rescriptis sta-

(41) Cujac. in paratitl. C. de diver. rescr.
(42) Auct. H. C. lib. 26. cap. 1.

ſtatuere. Quanquam enim principes ſemper conſueverint litteris, reſcriptiſque novum jus conſtituere, ut de Romanis imperatoribus ex codice conſtat, & de noſtris regibus, eorumque vicariis ex ipſis pragmaticis; tamen ejuſmodi juris condendi forma frequentior noſtra aetate facta eſt, quum rex vel ſua ſponte, vel magiſtratuum relationibus, vel privatorum precibus ſolitus ſit vel litibus finem imponere, vel novum jus condere. Hae regiae litterae legum loco habendae ſunt non modo, ſi quid generatim praecipiant, ſed etiam ſi controverſiam definiant nulla perſonarum, vel adjunctorum habita ratione. (43) Eas plurimis voluminibus comprehenſas collegit Didacus Gatta: ſed plures aliae adhuc colligendae reſtant.

Atque hae ſunt ſcriptae leges, hi libri noſtri juris, quibus utimur: ſed illud monere oportet ſolas Normannorum, & Suevorum leges, quae in libro conſtitutionum continentur, pro legibus apud Siculos haberi: caeteras eos non tenere. Nam priora Caroli I. capitula, ubi rebellarunt, ſimul cum imperio repulere: reliquae leges Siculis latae non ſunt, ſeu quod aliis regibus Sicilia ſubeſſet, ſeu quod aliis, qui pro rege praeeſſent. (44)

At praeterea eſt jus non ſcriptum, quo pe-

(43) Arg. l. ult. C. de div. reſcr. ubi Cujac.
(44) Auct. H. C. lib. 20. cap. 9.

perinde ac scripto utimur. Ad id genus principio refero ritus Regiae Camarae, atque ejusdem tribunalis arresta. Quum enim Regia Camara ab ipsa institutione rei fiscali praefuisset, in ea certa forma, certaeque regulae observabantur de fiscalium redituum exactione, locatione, rationum redditione, & similibus, quae partim ex Friderici II. constitutionibus, quae in volumine constitutionum minime comprehensae, apud ipsam Regiam Camaram adservabantur, partim ex usu, & moribus, magistrorumque rationalium definitionibus descendebant. Ea omnia in libris, quae *regestra* Regiae Camarae nuncupabant, continebantur: quos libros non facile erat consulere, aut ex iis jus certum haurire. Ea re motus Andreas ab Aesernia, qui quatuor, & triginta annos fuerat magister rationalis sub Roberto, & Joanna I. haec omnia in unum collegit, atque ordinavit, & ritus Regiae Camarae appellavit; quibus deinde quaedam ejusdem tribunalis definitiones, *arresta* vulgo nuncupant, suis locis adjectae sunt. (45) Hi ritus etsi ab Andrea ab Aesernia privata auctoritate compositi sint; tamen ob vetustatem, diuturnumque usum legum loco habentur.

Arresta vero dicuntur decreta quaedam ejusdem tribunalis de fisci, vel universitatum re-

(45) Auct. H. C. lib. 26. cap. 6.

rebus, quae vel generatim pronunciata sunt, vel in singulari facti specie, ut ad similes proferantur. Haec in unum collecta edidit Donatus Antonius de Marinis, & pariter ob vetustatem, diuturnumque usum pro legibus sunt. (46)

Proprie tamen ad jus non scriptum pertinent consuetudines; quibus diuturni mores vim legis tribuerunt. Harum quaedam generales sunt, quae in omni regno, quaedam particulares, quae in singulis urbibus, locisve obtinent. Ad illas refero quamplura, quae apud nos moribus potius, quam jure scripto constant, cujusmodi sunt jus προτιμήσεως, seu praelationis, jus successionis filiorum ad dotem profectitiam matris excluso patre, & similia.

Huc quoque referri debent res perpetuo similiter judicatae. Nam etsi res judicatae jus non nisi inter partes faciant; tamen, ubi res continenter similiter judicatae occurrunt, si vel maxime fuerit ab scripto jure recessum, in consuetudinem abeunt diuturnis moribus comprobatam. Quare Severum imperatorem rescripsisse Callistratus refert rerum perpetuo similiter judicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere. (47)

Particularium consuetudinum quaedam nudis moribus adhuc constant: quaedam ad incer-

(46) V. apud de Marinis tom. 5.
(47) L. nam imperator 38. D. de leg.

certitudinem removendam litteris mandatae sunt, cujusmodi sunt Surrentinae, Amalfitanae, Aversanae, Cajetanae, praecipue vero Neapolitanae, & Barienses. Ex his antiquiores sunt Barienses, quippe quae scripto continebantur, quando urbs Barium a Rogerio rege capta est; qui eas sibi oblatas laudavit, civibusque pro legibus servandas permisit. Eae Carolo I. rege a duobus jurisconsultis, & Bariesibus judicibus Andrea, & Sparro, seu Sparano in elegantiorem ordinem redactae sunt. Tum anno 1550. iis commentaria accessere Vincentii Maxillae. (48)

Neapolitanae vero recentiores sunt, nempe regnante Carolo II. in unum collectae. Carolus enim quum Neapolitanos non una in re consuetudinibus uti animadverteret, quae, quod litteris non continebantur, essent incertae; Philippo Minutulo Archiepiscopo mandavit, ut de duodecim sapientum virorum consilio veras urbis consuetudines deligeret, atque in unum colligeret: nec non Universitatis Neapolitanae administratoribus, ut per probos viros eas investigarent, & Minutulo offerrent. Quo facto eas a Bartholomaeo a Capua perpendi, atque emendari jussit: tum eas probavit, ediditque anno 1306. jubens, ut pro lege valerent, nec aliae praeter eas consuetudines allegarentur. (49) Has anno 1350. e-

(48) Auct. H. C. lib. 21. cap. 7.
(49) Prooem. Consuet. Neap.

Sebaſtianus a Neapoli, vulgo Napodanus, commentariis illuſtravit: tum plurimi ad eas commentaria ſcripſerunt.

Hae in ſolo Neapolitano territorio obtinent. Harumque aliae perſonas ſpectant, aliae res: priores ſolos cives tenent, non exteros, quamvis Neapoli degant: poſteriores obſervandae ſunt, ubi bona, de quibus agitur, in Neapolitano ſita ſunt territorio, ſive ea civium ſint, ſive exterorum, atque ita ſaepe Sacrum Conſilium definivit. (50)

Unde autem Neapolitanae conſuetudines natae ſint, non ſatis conſtat. Vulgo putant ex jure, & moribus Graecorum, ſeu veterum rerum publicarum, ſeu orientalium imperatorum. Sed mihi probabilius videtur ex conſuetudinibus Normanniae potiſſimum eſſe ortas; quod ex ſola collatione noſtrarum conſuetudinum de ſucceſſionibus ab inteſtato cum Normannis conſuetudinibus ſatis perſpicuum eſt. (51) Quae quum in pleriſque cum Langobardis legibus convenirent: Normanni enim non ſecus, ac Langobardi Germanicae originis fuere; hinc Neapolitanae quoque conſuetudines plerumque juri Langobardo conſentaneae ſunt: atque ex eo jure interpretationem accipiunt. Quamvis non negaverim aliqua in eis Graeci juris, atque inſtitutorum apparere veſtigia.

IN-

(50) Napod. ad Conſ. ſi qua moriens, & ad Conſ. pupillus. De Franch. deciſ. 272. Capic. deciſ. 159.

(51) V. Conſuet. Norman. apud Thomam Cormerium lib. 25. tit. 15.

INSTITUTIONUM
JURIS CIVILIS NEAPOLITANORUM
LIBER I.
DE MAGISTRATIBUS.
CAPUT I.
De Magna Curia Vicariae.

OMne jus nostrum non secus, ac Romanum vel personas spectat, vel res, vel actiones denique, & judicia. Idcirco in his institutionibus juris Neapolitani, quas ad exemplum Justinianearum institutionum conscribo, primum de personis, tum de rebus, denique de judiciis agam. Et de personis quidem duobus prioribus libris, in quorum primo de magistratibus dicam, in altero de personis privatorum: de rebus vero tribus sequentibus, nempe tertio de rerum divisione, & particularibus acquisitionibus: quarto de hereditatibus: quinto de obligationibus: & demum sexto de judiciis tractabo.

Tractatio de nostris magistratibus uti Neapolitano jurisconsulto non modo utilissima est, sed plane necessaria: parum enim juvat jus nosse, si ejus experiundi, & magistratus adeun-

adeundi ratio ignoretur; ita difficillima est. Nam origo antiquitatum tenebris involuta est: auctoritas vero, & jurisdictio, qua in praesens utuntur, non minoribus difficultatibus implicita. Quare facturus videor operae pretium, si hanc utilissimam Neapolitani juris partem tenebricosam, atque intricatam, quoad potero, illustravero, atque explicavero: potissimum quum ea a nemine hactenus pro merito fuerit tractata.

Magistratus nomine denotantur, quicunque imperio, vel jurisdictione utuntur: magistratus enim per derivationem a magistris dicuntur: etenim, quibus praecipua alicujus rei cura incumbit, quique magis, quam caeteri vel scientiam, artemve profitentur, vel curam, & sollicitudinem rei gerendae habent, ii magistri dicuntur: qui vero cum cura, & sollicitudine imperium, vel jurisdictionem habent conjunctam, ii magistratus appellantur. Ad rem Paulus: *Cui praecipua cura rerum incumbit, & qui magis, quam caeteri diligentiam, & sollicitudinem rebus, quibus praesunt, debent, hi magistri appellantur. Quin etiam ipsi magistratus per derivationem a magistris cognominantur* (1). Principem vero magistratus nomine non comprehendo: ejus enim majestas, quae supra omnes magistratus est, hoc numero ipsum excludit. De

(1) L. cui 57. D. de V. S.

De his magistratibus acturus primum de urbanis, tum de provincialibus differam. Atque ex urbanis a Magna Curia Vicariae exordium sumo, quum, ut temporum ordinem sequar, tum etiam, quia, quae de Magna Curia Vicariae dicam, faciliorem intellectum reddunt eorum, quae de caeteris tribunalibus dicenda sunt. Curiae apud scriptores medii aevi, potissimum Normannos, & Suevos, conventus omnes seu stati, seu repentini dicebantur. Quare comitia, seu generales conventus, quas Normanni, & Suevi reges habuere, eo nomine nuncupatas legimus (2). Tribunalia quoque omnia curiae dicta sunt, seu quod singula tribunalia ex pluribus personis constarent, seu quod in tribunalibus conventus litigatorum agitarentur. Hinc frequens mentio occurrit curiarum bajulorum, justitiariorum, & camarariorum (3); quibus quum curia regis praeesset, non immerito magna curia dicta est. Etenim, ut supra dictum est, ubi Robertus Guiscardus omni fere Apuliae, & Calabriae dominari coepit, judices in sua ditione constituit, qui crimina punirent, & pecuniarias controversias definirent, quibus ipse praeerat primariis viris in consilium adhi-

(2) U. Falcon. Benev. & Romuald. Salernit. ad ann. 1129. 1130. 1140. & 1166.

(3) Const. quum circa, & Const. de quaestionibus.

hibitis, quae magna curia ducis fuit. Idem hoc inſtitutum amplexi ſunt Capuae princeps, & magnus Siciliae comes. Quare per ea tempora tres fuere magnae curiae, una ducis Apuliae, altera principis Capuae, & tertia magni comitis Siciliae.

At quando Rogerius univerſi regni potitus eſt, ex tribus magnis curiis unam Panormi conſtituit, quae magna curia regis fuit. In ea principes viri adſidebant, ut de gravioribus negotiis deliberarent. Eamque ut auguſtiorem redderet, ſeptem ſupremos magiſtratus, qui ſeptem regni officia dicti ſunt, creavit, eoſque voluit in hac regia curia adſidere. Hi fuere magnus comes ſtabuli, magnus admiratus, magnus cancellarius, magnus juſtitiarius, magnus camararius, magnus protonotarius, & magnus ſiniſcalcus (4). Hi ſinguli rerum, quibus praeerant, curam habebant; ideoque magnus, ſeu magiſter juſtitiarius, qui minoribus juſtitiariis praeeſſet, juri dicundo ſeu in pecuniariis, ſeu in capitalibus cauſſis operam dabat (5).

Hanc ſupremam curiam, nunquam magnam curiam appellatam legere licet apud Romualdum Salernitanum, & Ugonem Falcandum; tamen ſequenti tempore ita nuncupatam legimus, potiſſimum a Guillelmi primi

(4) Auctor H. C. lib. 11. cap. 6.
(5) Conſt. officiorum periculoſa confuſio.

mi aetate (6). In ea fortasse initio perraro, & extra ordinem privatorum caussae tractabantur. Sed ubi Guillelmus I. jussit a camarariis provinciarum ad magnum justitiarium provocari, crevit illius auctoritas: eique adsessores dati sunt, qui regii justitiarii. & judices magistri justitiarii dicti sunt. Atque quum jus dicendum fuit, seu in caussis criminum, seu pecuniariis, majoribus quibusdam exceptis, minime opus fuit universam magnam curiam convocari: sed id a magistro justitiario cum suis judicibus praestabatur (7).

Igitur magnae curiae nomine universum supremum regium tribunal denotabatur, quod ex superioribus septem summis magistratibus, praelatis, baronibus, delectisque judicibus constabat; quos omnes sese assidue comitari Fridericus II. jusserat (8). Sed ob frequentes ejus peregrinationes vix mihi persuaserim id fieri potuisse. Quo factum, ut ipsis Friderici II. temporibus magnae curiae, ut ita dicam, membra disjici coeperint, & tribunal magistri justitiarii magna curia nuncupari; quod fortasse sub Carolo I. usuvenit (9).

Quum-

(6) Const. ancillas, & Const. pecuniam.

(7) Const. officiorum periculosa confusio, Pecchia de O. M. C. lib. 2. cap. 29.

(8) Const. statuimus.

(9) Pecchia de O. M. C. lib. 2. cap. 29.

Quumque poſt Siculorum defectionem Carolum abeſſe oportuerit, & ob duellum cum Petro Aragonio conſtitutum, & ob bella; Carolum filium, qui poſtea ſecundus dictus eſt, regni vicarium reliquit, eique adſeſſores dedit principes viros, barones, & juriſconſultos, quorum conſilium Magna Curia Vicarii dicta eſt, in qua graviora quaeque potiſſimum ad rem publicam ſpectantia tractabantur. Hunc morem ſequuti Andegavi reges tenuere. Quare per ea tempora duae fuere Magnae Curiae, altera Vicarii, altera Magiſtri Juſtitiarii (10).

Quoniam vero Vicarius, qui fere ſemper regius filius fuit, & Magiſter Juſtitiarius plerumque aliis negotiis diſtracti ipſi tribunali praeeſſe non poterant, niſi dicere velimus intereſſe indignatos; coepere alii in eorum locum tribunalibus a rege praefici, quique Magnae Curiae Vicarii praeficiebatur, regens: qui vero Magnae Curiae Magiſtri Juſtitiarii, locumtenens nuncupabatur (11).

At, ubi regnum ad Alfonſum Aragonium pervenit, inſtituto Sacro Conſilio hae duae Magnae Curiae unitae ſunt; quae corrupte Magna Curia Vicariae dicta eſt: abolitoque tribunali Capitanei Neapolis ejus auctoritas

(10) Prooem. & paſſim in rit. M. C.

(11) Rit. M. C. item quod locumtenens, & rit. M. C. item ſervat ipſa curia 44.

ritas in Magnam Curiam Vicariae translata est.

Jam de judicibus Magnae Curiae videamus. Et quidem sub Friderico II. quatuor judices Magistro Justitiario adsidebant: (12) sed procedente tempore gliscentibus litibus judicum numerus auctus est. Nam Carolus V. sex judices in Magna Curia constituit, quorum quatuor criminibus coërcendis, duos pecuniariis caussis definiendis praefecit (13). Tum a Philippo II. judicum numerus, qui pecuniariis caussis praeerant, auctus est: sex enim creati sunt, quibus separata a judicibus rerum capitalium sedes assignata, eaque in duas divisa, quas *aulas*, seu *rotas* vulgo nuncupant (14). Eorum quoque judicum, qui criminibus coërcendis praesunt, numerus senarius factus est (15). Horumque sedem dividendam saepe deliberatum est, idque novissime jussit Carolus Borbonius (16): sed demum superioribus annis a Ferdinando filio felicissimo nostro rege perfectum est, qui duos alios quoque judices rerum capitalium addidit.

Praeter hos octo judices in Magna Curia Vica-

(12) Const. statuimus.
(13) Pragm. 1. de off. mag. justit.
(14) Pragm. 74. §. 3. de off. S. R. C.
(15) U. tom. I. privileg. Neapol.
(16) Pragm. 18. §. 6. de ord. jud.

cariae criminali duo regii consiliarii, duo fisci patroni, & duo pauperum advocati adsident. Et quidem fisci patronus initio in Magna Curia fuisse videtur, quippe cujus meminit Guillelmus I. (17). Advocati vero pauperum recentior origo est: caverat enim Fridericus II. pauperibus, miserabilibusque personis, ne indefensae damnarentur, advocatos ab ipsa Curia esse dandos (18). Tum e re visum fuit advocatum designari, qui pauperibus defendendis in caussis criminum operam daret, fortasse quod eae caussae essent frequentiores, & rei plerumque pauperes. Idque a Carolo II. Andegavo factum scribit Andreas ab Aesernia (19). Duo vero Consiliarii a Carolo V. jussi sunt Magnae Curiae praeesse, ut maturius de capite civium judicaretur (20). Demum ubi a nostro sapientissimo rege judicum rerum capitalium numerus auctus est, alter fisci patronus, atque alter pauperum advocatus accessit. Quare in singulis sedibus (aulas appellant) quatuor sedent judices, unus regius consiliarius, qui praeest, unus fisci patronus, atque unus pauperum advocatus.

(17) Const. quaestiones de quaest. inter fisc. & privat.
(18) Const. lege praesenti.
(19) Aesernia ad Const. lege praesenti.
(20) Pragm. 2. §. 5. de offic. S.R.C.

Judicum munus olim annuum fuit (21) hodie biennale est: biennioque finito sui muneris rationem reddunt (22). Magistri justitiarii, uti & vicarii, & regentis munus olim videtur fuisse perpetuum, seu ad regis arbitrium: sed sub Austriacis regibus annuum factum est, nec nisi ex justa caussa ad biennium prorogabatur: (23) tum regens sui muneris rationem reddere debebat (24). At hodie munus regentis a regis arbitrio pendet, nec solet finito officio administrati muneris rationem reddere.

Nunc de auctoritate Magnae Curiae, potissimum in pecuniariis caussis dicendum. Et quidem initio, ut dictum est, Magna Curia supremum fuit tribunal, & ipsius principis consilium: tum sub Guillelmo I. magister justitiarius, ubi ei judices adsessores dati sunt, coepit in pecuniariis appellationum caussis jus dicere. At Fridericus II. magistri justitiarii auctoritatem auxit: jussit enim eum jus dicere in crimine majestatis: in caussis feudorum quaternatorum, aut partis eorum: in caussis curialium, hoc est eorum, qui erant in comitatu principis: in caussis viduarum, pu-

(21) Const. occupatis, Const. judices, & Pragm. 1. de offic. magistr. justit.
(22) Pragm. 52. §. 5. de offic. magistr. justit.
(23) Pragm. 11. §. 53. de offic. magist. justit.
(24) Pragm. 2. de syndic. official.

pupillorum, & miserabilium personarum: in caussis delictorum ab officialibus commissorum: in caussis appellationum ab ordinariis, & delegatis judicibus: necnon inferiorum judicum consultationibus, & relationibus respondere (25).

Instituto deinde ab Alfonso I. Sacro Consilio, Magnae Curiae auctoritas deminuta est, quippe quae Sacro Consilio subdita est. Quare hodie Magnae Curiae Vicariae auctoritas in eo sita est, ut caussas seu pecuniarias, seu criminum civium Neapolitanorum definiat, atque in urbe, & suburbiis jus dicat: deinde, ut cognoscat de appellationibus, seu in caussis capitalibus, seu pecuniariis ab omnibus tribunalibus regni Apuliae: denique de quibusdam peculiaribus caussis jus dicat, quae jure singulari ad Magnam Curiam pertinent.

Quod vero ad appellationes in caussis pecuniariis attinet, illud nosse oportet licere ad Magnam Curiam provocare, non modo a regiis audientiis: sed etiam ab inferioribus tribunalibus, modo caussa alicujus momenti sit: cautum namque fuerat anno 1540. ad Magnam Curiam provocari posse a vicinioribus quidem provinciis, si caussa excederet summam centussium quinquaginta: a remotioribus vero, si excederet centussium cen-

 tum

(25) Const. statuimus, Const. Magnae Curiae nostrae, & Const. magister justitiarius.

tum (26). Sed anno 1738. ea summa ad duplum aucta est. Ubi vero caussa infra eam summam fuerit, ad regiam audientiam appellandum est: & post regiae audientiae definitivam sententiam licet ad Magnam Curiam provocare, facta interea sententiae exsecutione praestita per victorem cautione de restituendo in casu retractationis; quam appellationem quoad *effectum devolutivum*, *non suspensivum* appellant (27). Sunt autem viciniores provinciae Campania, Comitatus Molisinus, Capitanata, & uterque Principatus: remotiores vero Basilicata, Barium, Hydruntum, utraque Calabria, & utrumque Aprutium.

In caussis vero criminum solius Magnae Curiae est per appellationem cognoscere. Pecuniariae enim caussae, & in primo judicio, & per appellationem non raro ad Sacrum Consilium deferuntur: capitales vero nunquam, nisi per appellationem a definitiva sententia Magnae Curiae (28). Cavetur enim nostris legibus criminum caussas, seu in primo judicio, seu per appellationem ad Sacrum Consilium delatas ad Magnam Curiam esse remittendas (29).

Caus-

(26) Pragm. 7. de offic. S.R.C.
(27) Pragm. 18. §. 1. de ord. jud.
(28) Rovit. ad pragm. 3. de offic. S.R.C. num. 5.
(29) Pragm. 43. de off. S.R.C.

Caussae porro, quarum cognitio jure singulari ad Magnam Curiam pertinet, sunt I. caussae omnes ducum, comitum, & baronum, seu pecuniariae, seu capitales: quoniam hujusmodi personae facile inferiorium tribunalium auctoritatem despiciunt, idque ex ritu *Mag. Cur.* 46. *de jurisdict. & cognit. Magnae Curiae* colligunt. Immo Petra ad eum ritum scribit Magnae Curiae datam fuisse in omnes regnicolas jurisdictionem: sed id usu minime servari. Sed male: etenim Joanna II. quum omnes, qui in regno degerent, jurisdictioni Magnae Curiae subdidit, non id voluit, ut eorum omnium caussae in primo judicio in Magna Curia tractarentur: sed, ut saltem ad Magnam Curiam posset provocari, exceptis caussis regiorum familiarium, & domesticorum, quarum cognitio nullo modo poterat ad Magnam Curiam pertinere.

II. Vulgus forensium huc refert caussas regiorum consiliariorum, quos ajunt Magnae Curiae jurisdictioni subesse (30). Immo sunt, qui putant adhuc regentes olim cancellariam Magnae Curiae jurisdictioni subditos fuisse (31). Sed haec ineptiora sunt, quam ut mereantur refelli.

III. Caussae pupillorum, viduarum, ac mi-

(30) Rovit. ad pragm. 2. de off. S.R.C.
(31) De Ponte de potest. proreg. tit. 7. §. 7.

miserabilium personarum, ubi elegerint in Magna Curia jura experiri (32). Sed de ea re libro sexto dicemus.

IV. Ad Magnam Curiam olim pertinuere caussae feudorum quaternatorum (33). Sed instituto Sacro Consilio caussae omnes *comitatuum, marchionatuum, sive ducatuum, & principatuum, vel quorumcunque nobilium feudorum* ad illius tribunalis cognitionem spectarunt; (34) quod intelligendum est, si nil regii fisci intersit, alioqui ad Regiam Camaram pertinent (35) Feuda vero *quaternata* barbaro vocabulo dicebantur ea, ex quibus servitium regi debebatur, quod in *quaternionibus*, hoc est libris regiae dohanae essent descripta (36). Eaque feudorum nobilium nomine videntur in nostris pragmaticis esse denotata, quum nobilium feudorum cognitio Sacro Consilio servatur (37).

V. Ad Magnam Curiam olim crimen majestatis pertinuit (38). Sed procedente tempore id factum fuit cognitionis peculiarium judicum ab ipso rege delegatorum, quorum con-

(32) Const. statuimus.

(33) Const. statuimus, Const. Magnae Curiae nostrae, & Rit. M.C. item, quod curiae ipsae 50.

(34) Pragm. 3. §. 2. de off. S.R.C.

(35) Pragm. 37. de off. S.R.C.

(36) Pecchia differ. 2. §. 21.

(37) Prag. 3. §. 2. de off. S.R.C.

(38) Const. statuimus, & rit. M. C. 47.

consilium *juncta status* nuncupatur (39). Caetera vero, quae ad crimen majestatis proxime accedunt, adhuc ad Magnam Curiam pertinent, hujusmodi est crimen privati carceris, falsae monetae &c. (40).

VI. Ad Magnam Curiam pertinet cognitio de delictis, quae ab inferioribus judicibus in sui muneris exsecutione admittuntur (41). Quare legitur in *rit. M. C.* 49. *Item quod curiae ipsae, & quaelibet ipsarum cognoscant de excessibus officialium aliorum delinquentium in eorum officiis ea exercendo, & non aliter*. Sed usus hodiernus servat, ut judices de levioribus delictis finito officio rationem reddant: de gravioribus adhuc, quum sunt in officio, accusentur, regii quidem in Magna Curia, baronales vero in regiis audientiis (42).

VII. Olim solius Magnae Curiae, fuit jurisdictio, quum ex instrumento criminaliter agebatur, quae *instrumenti liquidatio* vulgo dicitur, eaque inferioribus tribunalibus minime fuit permissa (43). At hodie inferiora quoque tribunalia in hujusmodi caussis jus dicunt; quae si fuerint ad Magnam Curiam,

 vel

(39) Pragm. 37. in fin. de off. S.R.C.

(40) De Franchis decis. 275.

(41) Const. magister justitiarius, & Rit.M.C.49.

(42) Tapia ad d. Const. magister justitiarius, & Danza de pugn. doct. tit. de praeem. reg.aud.

(43) Prag. 1. de instrum. liquid.

vel regias audientias delatae, nequit peti remissio, ne ab ipsis quidem baronibus (44).

Denique ad Magnam Curiam spectare vulgo docent decretorum interpositionem, quae *praeambula* nuncupant. Idque ex ritu Magnae Curiae 181. colligi putant (45). Praeambula appellant decreta, quibus quis defuncti heres seu ex testamento, seu ab intestato pronunciatur. Sed hujusmodi praerogativa nusquam nostris legibus Magnae Curiae tributa legitur, immo nihil dici potèst magis a ratione, & nostris legibus alienum (46). Verum communem errorem fori usus comprobavit: decreta enim praeambulorum ab inferioribus tribunalibus interposita, ubi usus venit, per Magnam Curiam confirmantur; idque aliquam habet rationem. Superiora vero tribunalia, & ipsum Sacrum Consilium, adhuc in quaestionibus hereditariis, litigatores ad Magnam Curiam remittit, ut ab ea praeambuli decretum obtineant, addita clausula, ne Magna Curia eis interpositi decreti exemplum, vel argumentum tradat inconsulto Sacro Consilio (47). Id quid sibi velit, satis non intelligo, nisi ad lites dilatandas cum primis facere.

CA-

(44) Rovit. ad rub. prag. de instrum. liquid.

(45) Petra ad Rit. M. C. 181. num. 11. Capycius Latro decis. 139. in fin.

(46) Rapolla jur. regn. Neap. part. 1. lib. 2. cap. 5.

(47) De Rosa prax. civil. cap. 3.

CAPUT II.

De Sacro Consilio.

QUum primum magister justitiarius cum suis judicibus juri dicundo praeesse coepit, extra ordinem in gravioribus caussis ad universam Magnam Curiam videtur fuisse provocatum. Instituta deinde sub Carolo I. Andegavo Magna Curia Vicarii, ad hanc mihi persuaserim a Magna Curia justitiarii fuisse appellatum. At, ubi Magnae Curiae Vicarii regius filius minime praefuit, sed pro eo regens; hae ambae Magnae Curiae paris auctoritatis esse visae sunt, & ab una ad alteram coepit appellari: ab ea vero, quae postremum pronunciaverat, ad judicem appellationis extra ordinem provocabatur; qui fuit unus ex celebrioribus jurisconsultis, qui regi a consiliis erat: atque ita factitari solebat Carolo II. Andegavo rege (1).

Quando vero sub Alfonso I. Aragonio hae duae Magnae Curiae in unam unitae fuere, ab ea precibus regi oblatis extra ordinem provocabatur, qui uni, aut alteri eximio viro mandabat, ut caussam examinaret, de cujus consilio ipse rex sententiam ferebat. Tum, quo maturius hujusmodi appellationes discuterentur, sapientes quosdam viros delegit, de quo-

(1) Cap. de statu nostrorum fidelium 258.

quorum consilio caussas definiret: atque ita Alfonsus I. Aragonius Sacri Consilii auctor, & primus praeses fuit. Tum, quod publicorum negotiorum multitudine distineretur, Alfonsum Borgiam Valentiae episcopum, qui postea summus pontifex renunciatus Callistus III. dictus est, Sacro Consilio praefecit (2).

In eo Sacro Consilio praeter praesidem novem alios consiliarios Alfonsus constituit (3). Tum anno 1534. a Carolo V. consiliariorum numerus auctus est: duodecim enim creati sunt, quorum duo Magnae Curiae criminali praeessent, reliqui decem in duo consilia (*aulas*, seu *rotas* vocant) divisi in Sacro Consilio caussas definirent. Deinde sub Philippo II. anno 1560. alia aula, aliique quinque consiliarii additi sunt. Demum sub Philippo III. anno 1600. quinque alii consiliarii, quartaque aula accessit; quod ante triennium Philippus II. jusserat (4) Is consiliariorum numerus adhuc nostra aetate durat, nisi quod a Carolo Borbonio praefectus cuique

(2) Marinus Freccia de subfeud. tit. de antiq. statu regn. num. 38.

(3) Pragm. 2. de offic. S.R.C. quam pragmaticam Alfonsi I. esse solide ostendit Auctor H. C. lib. 26. cap. 4.

(4) Pragm. 64. §. 2. de off. S. R. C. Tapia ad pragm. 2. de off. S.R.C.

que aulae praeter ſuperiorem numerum additus eſt.

Huic tribunali initio magnus quoque protonotarius, vel ejus vicarius interfuit, cujus fuit ſupplices libellos accipere, eiſque ſubſcribere, atque inſtrumenta ſententiarum, quae regio nomine ferebantur, conſcribere. Hujus, ubi aberat, vices praeſes Sacri Conſilii obibat; quo factum, ut ſaepiſſime munus viceprotonotarii ipſi Sacri Conſilii praeſidi demandaretur. Tum id veluti ordinarium factum eſt, ut duobus ab hinc ſaeculis omnes Sacri Conſilii praeſides munere quoque viceprotonotarii functi ſint (5). Demum Carolus Borbonius id muneris adnexum eſſe voluit officio praeſidis Sacri Conſilii (6).

Auctoritas vero hujus tribunalis initio maxima fuit: id enim ſupremum fuit in omnibus Alfonſi regnis tribunal; quare in diplomate ejus regis anno 1449. legitur: *Quibus decrevimus omnes cauſſas regnorum noſtrorum occiduorum, & regni noſtri Siciliae ultra pharum eſſe remittendas* (7). Hinc mirum non eſt olim a Regia Camara Summariae ad Sa-

(5) Tapia ad prag. 2. de off. S.R.C. Auctor H. Civil. lib. 26. cap. 4. §. 1.

(6) Pragm. 1. §. 1. de off. Regal. Camar. S. Clar.

(7) Topius de orig. tribun. lib. 1. cap. 4. num. 21.

Sacrum Consilium fuisse provocatum (8). At vita functo Alfonso I. quum ei Ferdinandus I. filius in solo Apuliae regno successisset, Sacri Consilii auctoritas imminuta est: & procedente tempore desiit quoque de appellationibus a Regia Camara Summariae cognoscere, quod ab eo tribunali ex constitutione Ferdinandi I. anni 1482. aliud tribunal appellari non potuerit (9).

Quanquam autem Sacrum Consilium appellationum definiendarum gratia potissimum fuerit institutum; tamen ab ipsa sui institutione quarumdam caussarum adhuc in primo judicio ei fuit tributa cognitio. Alfonsus enim I. omnium caussarum cognitionem Sacro Consilio permisit, *de quibus cognoscere consuevit Magna Curia Vicariae, nisi tantum caussae hujusmodi fuerint, in quibus de minori, quam de viginti quinque unciarum summa agatur* (10). Igitur Sacrum Consilium de quibusdam caussis in primo judicio, de quibusdam per appellationem cognoscit, quaedam

(8) Topius d. lib. 1. cap. 4. num. 34. & 35. & Marin. Frec. de subfeud. tit. de off. magistr. camar. num. 15. & 16.

(9) Pragm. 37. §. 2, 3. 9. & 10. de off. proc. Caes.

(10) Prag. 3. §. 2. de off. S. R. C. Hanc pragmaticam Alfonsi I. non Ferdinandi I. esse existimo.

dam denique jure ſingulari ad illud pertinent.

Et quidem initio in primo judicio ad Sacrum Conſilium deferri poterant cauſſae omnes ultra ſummam unciarum viginti quinque, ſeu centuſſium centum quinquaginta (11). Immo ex conſtitutione D. Paraſantis Alcalanorum ducis cauſſae civium Neapolitanorum, & in Civitate Neapolitana, quaecunque centuſſes ſexaginta excederent, poterant in Sacro Conſilio inſtitui (12). Sed Carolus Borbonius anno 1738 generatim vetuit cauſſas conſiliariis committi, commiſſaſque ad Magnam Curiam remitti juſſit, quae ſummam non excederent centuſſium quadrigentorum (13). Sed hodie ea ſumma ad centuſſes quincentos aucta eſt.

Per appellationem vero cauſſas ultra ſummam centuſſium centum quinquaginta recta ad Sacrum Conſilium licuit deferre: infra eam ſummam gradatim oportuit appellare (14). At deinde id emendatum: appellationes enim ad Sacrum Conſilium admiſſae non ſunt niſi in cauſſis ultra centuſſes quincentos (15).

Quod

(11) Pragm. 3. §.2. & Pragm. 4. de off.S.R.C.
(12) Prag. 3. §. 3. de off. S.R.C.
(13) Pragm. 18. §. 3. num. 6. de ord. jud.
(14) Pragm.3. §.2. & Pragm. 4. de off. S.R.C.
(15) Pragm. 74. §. 3. de off. S.R.C.

Quod autem diximus caussas supra summam legitimam, seu in primo judicio, seu in judicio appellationis potuisse ad Sacrum Consilium deferri, id emendatum fuit a Ferdinando I. Aragonio anno 1488. qui cavit caussas omnes adhuc, si supra legitimam summam essent, in loco domicilii primum esse examinandas, tum ad regias audientias esse provocandum (16). Quod ab Alcalanorum duce fuit confirmatum (17). Sed usus obtinuit duobus ab hinc saeculis & amplius, ut caussae quaecunque supra legitimam summam sunt, seu in primo judicio, seu in judicio appellationis recta ad Sacrum Consilium deferantur, nec remissio caussae peti possit, nisi a barone, ad cujus cognitionem pertineant (18). Usus quoque obtinuerat, ne caussae, quae in Magna Curia coeperant, ad Sacrum Consilium deferrentur; quem morem Carolus Borbonius confirmavit (19).

De appellationibus autem, quae a Magna Curia ad Sacrum Consilium interponuntur, illud non omittendum olim in caussis infra summam legitimam appellationem ad Sacrum Consilium detulisse cognitionem, sen-

(16) Pragm. 2. ubi de delict. quis conv. deb. & pragm. 7. de off. S.R.C.
(17) Pragm. 3. §. 3. de off. S.R.C.
(18) Tapia ad pragm. 3. de off. S.R.C.
(19) Pragm. 18. §. 3. num. 6. de ord. jud.

ſententiae vero exſecutionem non impediviſſe (20) . Sed procedente tempore inductum , quod & hodie obtinet , appellationem ad Sacrum Conſilium in hujuſmodi cauſſis nequaquam admitti , ſed ad eamdem Magnam Curiam appellari : quoniam infra legitimam ſummam non licet cauſſas Conſiliariis adſignare . Hinc praeſes Sacri Conſilii ſolet decernere , ut eadem Magna Curia *facta ſententiae exſecutione reaſſumtis actis de juſtitia provideat* .

Praeterea illud quoque noſſe oportet, quod hujus tribunalis proprium eſt, a Magna Curia ad Sacrum Conſilium provocari poſſe non modo a definitivis ſententiis, ſed etiam ab interlocutionibus, quo caſu judex Magnae Curiae debet Sacrum Conſilium adire , & de interlocutione referre , cui rei peragendae olim dies mercurii, hodie dies jovis cujuſque hebdomadae adſignata eſt (21). Idem quoque obtinet, ſi ad Sacrum Conſilium fuerit provocatum ab interlocutionibus tribunalis artis ſerici, & lanificii .

Cauſſae porro, quarum cognitio jure ſingulari ad Sacrum Conſilium pertinet , ſunt I. cauſſae omnes de feudis nobilibus , deque eorum parte , vel juribus , modo nihil regii

(20) Pragm. 3. §. 4. & pragm. 74. §. 3. de off. S.R.C. & pragm. 6. de appell.
(21) Pragm. 18. de off. S.R.C.

gii fisci intersit (22). Quae si in alio tribunali fuerint tractatae, acta omnia nullius momenti esse merito nostri scriptores docent (23).

II. Caussas de familiarum nobilitate ad Sacrum Consilium pertinere, nec ad inferiora tribunalia esse remittendas iidem scriptores tradunt (24).

III. Caussae de electione syndicorum, administratorumque universitatum (25).

IV. Caussae de tuenda possessione eis, qui a clericis turbantur, vel dejecti fuere, seu, ut vulgo ajunt, quum agitur ex *capitulis conservatoriis regni*: sed de ea re libro sexto dicendum.

V. Caussae de permittenda alienatione bonorum, quae testamento, vel contractu vetita est, quod bona fideicommisso supposita sint. Eaeque caussae in Sacro Consilio junctis aulis, & praeside praesente tractandae sunt, vel in Magna Curia pariter junctis aulis: sed sententia exsecutionem non meretur, nisi de ea re ad Sacrum Consilium junctis aulis, & praeside praesente fuerit relatum. Quod si ob rerum, vel personarum con-

(22) Pragm. 3. §. 2. de off. S.R.C.
(23) Rovit. ad pragm. 3. de off. S.R.C. num.3.
(24) Rovit. ad d. pragm. 3. num.4.
(25) Pragm. 61. §. 18, & 19. de off. procur. Caesar.

conditionem caussam in Regia Camara Summariae tractari oporteat; id fieri necesse est quatuor saltem praesidentibus, locumtenente, & fisci patrono intervenientibus. Tum Sacri Consilii, aut Regiae Camarae sententia regio adsensu olim a Collaterali Consilio, hodie a Regali Camara Sanctae Clarae confirmanda est (26).

Nunc caetera prosequamur, quae ad Sacri Consilii auctoritatem pertinent. Et quidem illud ab Alfonso I. Aragonio Sacro Consilio tributum fuit, ut permitteret caussas tempore peremtas instaurari, seu, ut is loquitur, *restitutionem processibus, seu spiritus insufflationem impertiri* (27). Constituerat enim Justinianus pecuniarias caussas triennio, capitales biennio a litis contestatione esse terminandas: postea censeri peremtas (28). Quod ipsum apud nos ritibus Magnae Curiae confirmatum fuit (29). Sed, quum interdum eveniret, ut caussae intra legitima tempora finem minime acciperent, princeps aditus ex justa caussa legis rigorem relaxavit, quæ restitutio, & spiritus insufflatio dicta est. Id Alfonsus Sacro Consilio permisit. Verum hodie id a solo Sacri Consilii praeside, &

F sine

(26) Pragm. un. de vincul. seu condit. amov.
(27) Prag. 3. de off. S. R. C.
(28) L. properandum 13. C. de jud.
(29) Rit. M. C. 248.

sine ulla caussae cognitione praestatur. Praeterea nostri scriptores tradunt eam spiritus insufflationem in caussis capitalibus necessariam non esse, nec requiri in caussis, quae in inferioribus tribunalibus tractantur: sed duntaxat in iis, quae in Sacro Consilio, in Magna Curia, & in regiis audientiis examinantur, si quidem in ejusmodi caussis non a litis contestatione, sed ex quo litigatores novissimum tacuere, triennium effluxerit (30). Ad haec, si sine ulla spiritus insufflatione iterum fuerit agi coeptum, & sententia prolata, & acta, & sententiam valere tradunt (31). Quo factum, ut hujusmodi insufflatio spiritus paene desueverit.

Praeterea illud vulgo tribuunt Sacro Consilio, ut junctis quatuor aulis possit leges condere, ejusque tribunalis definitiones junctis quatuor aulis latas leges esse (32). Idque tradi putant *Pragm.* 47. *de Off. S. R. C.* ubi legitur. *Et si decreta, statutaque ab eodem Sacro Consilio pro lege servari oporteat; regia tamen si fuerint auctoritate comprobata, & publicata, notitiae, observantiae, & exsecutionis recipiunt firmamentum*. Sed, quum leges ferre ad jura majestatis majora pertineat, absurdum est id juris Sacro Consilio tribuere. Idcirco nego Sacrum Consilium junctis qua-

(30) Tapia ad Const. omnes bajuli.
(31) Tapia ad pragm. 3. de off. S.R.C.
(32) Romanus de praest. S.C. cap.1. praest.10.

quatuor aulis posse leges condere: immo nego posse leges interpretari, ut in juris ambiguitatibus ea interpretatio pro jure certo teneatur perinde ac, si a principe processisset. Quare ejus tribunalis definitiones junctis quatuor aulis pro legibus haberi nullo modo possunt. Quod vero in dicta *Pragma* 47. legitur, id eo pertinet, ut intelligamus Sacro Consilio, ut cuilibet alii tribunali semper fuisse permissum, ut ad suam jurisdictionem tuendam, & jus in caussis expeditius dicendum, aliqua possit edicere, & decernere, quæ ubi fuerint regia auctoritate comprobata, firmitatis accipiunt incrementum.

Verum omnem dubitationem mihi substulisse videtur Caroli Borbonii sanctio, qui anno 1738. jussit quater in anno omnes Sacri Consilii aulas convenire ad dubias juris quaestiones definiendas, definitionesque regi esse offerendas, ut ab eo probatae pro jure certo serventur (33). Hinc satis intelligimus non quatuor aulas in unum unitas, sed regiam comprobationem definitionibus Sacri Consilii vim legis tribuere, adhuc quum de ambigui juris interpretatione tractatur.

Non iverim tamen inficias Sacri Consilii definitiones non contemnendae esse auctoritatis: etenim, si unius doctoris non spernenda est auctoritas, quanto magis ubi plures, vel

 omnes

(33) Pragm. 18. §. 3. num. 1. de ord. jud.

omnes Sacri Consilii patres re perpensa quidpiam definiunt? Ad haec, si res perpetuo similiter a Sacro Consilio judicatae proponantur, sine haesitatione pro jure certo servandae sunt, si vel maxime a manifesto scripto jure seu Romano, seu nostro fuerit recessum; quamvis enim res judicatae ad res judicandas nihil habeant ponderis, quoniam res inter alios actae, vel judicatae aliis non nocent; (34) tamen, ubi constans est rerum judicatarum auctoritas, consuetudinem rite introductam ostendit (35).

CAPUT III.

De Regali Camara Sanctae Clarae, ubi de Collaterali Consilio abolito.

Olim supremum in nostro regno tribunal, & ipsius principis consilium fuit Magna Curia, tum Sacrum Consilium, denique Consilium Collaterale, & quae in ejus locum successit Regalis Camara Sanctae Clarae; idcirco quum de Magna Curia, & Sacro Consilio dixerimus, hoc loco de Collaterali Consilio, & Regali Camara S. Clarae dicemus.

Et

(34) L. saepe 63. D. de re jud. & tot. tit. C. res inter alios actas &c.
(35) L. 38. D. de leg.

Et quidem Andegavi reges soliti fuere prudentiorum virorum consilio uti, ut rebus potissimum publicis consulerent, qui *consiliarii regis*, & *consiliarii collaterales* dicebantur; quod ideo factum conjicio, quod Andegavi reges non consueverint universam Magnam Curiam apud se convocare. Sic Joannae I. consiliarium collateralem fuisse legimus Andream ab Aesernia: & Joannae II. Franciscum Zurulum, & Bonomolum Transum (1). Atque ex horum numero mihi persuaserim judices appellationum fuisse delectos. Eumdem morem, & Aragonii reges tenuere, postquam Sacro Consilio praeesse desierunt: ex eo enim tribunali prudentia, & doctrina praestantiores viros deligebant, quorum consilio leges conderent, publicae rei consulerent, & privatorum negotia interdum definirent. Hi *consiliarii collaterales*, & *regii auditores* dicti sunt, eorumque conventus *regia audientia* (2).

At ubi Ferdinandus Catholicus regni potitus est, Collaterale Consilium stabilitum fuit. Is enim anno 1506. Neapolim venit, & secum tres praestantissimos viros duxit, qui in Aragonio consilio regentes erant, eorumque consilio usus pleraque constituit: tum anno

F 3 se-

(1) Auctor H. C. lib. 22. cap. 7. Topius de orig. tribun. tom. 1. lib. 4. cap. 7.

(2) Topius de orig. trib. tom. 2. lib. 1. cap. 14. & lib. 2. cap. 5. Afflictus decis. 106.

sequenti discessurus vicarium, qui pro rege regno praeesset reliquit, eique duos ex eis adsessores dedit, quorum consilio & in publicis, & in privatis rebus uteretur. Horum numerus procedente tempore auctus est. Atque hi dicti sunt regii auditores, consiliarii collaterales, & regentes cancellariam, quod pleraque expedirent, quae olim ad magnum cancellarium, & regentes cancellariam pertinebant (3).

Eorum fuit proregem in publicis negotiis, potissimum in magistratuum creatione consilio juvare, controversias de magistratuum jurisdictione definire: certis in caussis legis rigorem de more temperare, seu, ut vulgo ajunt, dispensare, & regium adsensum impertiri: & de gravioribus quibusdam caussis extra ordinem judicare. Quare eorum suffragia in quibusdam caussis erant *consultiva*, ut ajunt, in aliis *decisiva* (4).

Quando vero regnum ad Carolum Borbonium pervenit, is publicarum rerum curam sibi sumsit, qui prudentia, & doctrina insignes viros in consilium adhibuit, qui *consiliarii status* dicuntur: privatarum vero rerum, quarum cognitio de more ad Collaterale

(3) Auctor H.C. lib. 30. cap. 2. §. 1. & Tapia ad rubr. de off. magni cancell.

(4) V. pragmaticas in tit. de off. secret. & volum. I. privileg. cap.7.8.9. & 10.

rale Consilium pertinebat, eo abolito, ad novum tribunal transtulit, quod Regalis Camara S. Clarae dicta est. Constat hoc tribunal ex praeside Sacri Consilii, & quatuor aularum praefectis: atque ter in hebdomada ipsius praesidis domi habetur (5).

Ejus autem tribunalis auctoritas est I. cognoscere de appellationibus a judicibus delegatis; quare seu Magna Curia Vicariae, seu commissarius Campaniae ex delegatione pronunciaverit, ad Regalem Camaram S. Clarae provocatur. II. De tribunalium jurisdictione judicare, & controversias de ea re definire. III. cognoscere de adsignationibus, seu commissionibus caussarum, & de provocationibus a decretis, quae a Sacri Consilii praeside proferuntur; quo casu is tribunali interesse nequit, sed scripto debet referre. IV. juris rigorem certis in caussis temperare, seu regium adsensum impertiri in alienationibus, vel hypothecis bonorum dotalium, feudalium, vel universitatum: item legitimorum depositorum obligationem ob paupertatem remittere. V. jubere, ut pontificiae litterae, quas bullas dicunt, exsecutioni mandentur, & scripturae extra regnum datae admittantur, seu, ut vulgo ajunt, *regium exequatur, vel recipiatur concedere*: nec-

(5) Pragm.1. de off. Cancellar. & Collater.Consil. subl. & Pragm.1. de off.Regal. Cam. S. Clarae.

non permittere, ut libri imprimantur, cui rei Carolus Borbonius peculiarem magistratum destinandum deliberaverat. Denique ad hoc tribunal, ejusque magistratus pertinet indulgentia uti adversus eos, qui carceribus detinentur, quae *visitatio carceratorum* vulgo nuncupatur. Praeterea graviores quaeque caussae ex regia jussione solent ad hoc tribunal remitti, ut vel eas sententia definiat, vel, quid sibi videatur, ad regem ipsum referat (6).

Illud quoque ad Regalem Camaram S.Clarae spectat, quod olim ad Collaterale Consilium pertinuit, ut regiam jurisdictionem tueatur, seu id det operam, ne regiorum magistratuum jurisdictio ab ecclesiasticis praelatis quid detrimenti capiat. Etenim ubi inter Philippum II. & Pium V. contentiones de jurisdictione ortae sunt, & regii magistratus questi episcopos, atque ecclesiasticos praelatos jurisdictione abuti; id negotii datum est Collaterali Consilio, ut regiam jurisdictionem tueretur, atque ex ejus tribunalis magistratibus unus potissimum huic rei operam dare coepit. Tum renatis inter Carolum VI. & summum pontificem concertationibus, ab ipso principe unus ex cancellariam regentibus huic rei destinari coepit: atque abolito Collaterali Consilio unus ex magi-

(6) Pragm. 1. de off. Regal. Camar. S.Clar.

giſtratibus Regalis Camarae S.Clarae delectus eſt, qui *delegatus regiae juriſdictionis* nuncupatur. Ad eum pertinet regiam juriſdictionem defendere, atque ab injuria eccleſiaſticorum praelatorum tueri vel ipſos clericos oppreſſos: atque ea de cauſſa ad eccleſiaſticos praelatos regio nomine litteras dare, quibus aliquid fieri mandet, vetetve; quibus niſi fuerit paritum, jus dicit auditis partibus. Ab ejus decretis ad Regalem Camaram S. Clarae provocatur.

CAPUT IV.

De Regia Camara Summariae.

CAmaram Langobardi dicebant locum, ubi publica pecunia adſervabatur, quare ſaepiſſime camara aerarium denotat (1). Hinc ſub Normannis camerarii dicebantur, qui in ſingulis provinciis publicae pecuniae colligendae operam dabant: & magnus camerarius, qui his minoribus camerariis, & univerſo regio aerario praeerat. Huic & minora officia aderant, nempe ratiocinatores, qui accepti, & expenſi rationes inirent: & auditores, ſeu praeſidentes, qui magni cama-

(1) Cujacius ad lib. 2. feud. tit. 1. Hottomanus de verb. feud. v. camara.

mararii curam levarent accipiendae, atque expendendae pecuniae curam gerentes. Horum collegium dicebatur tribunal Camarae, Regale Auditorium rationum, & Camara Summariae rationis, quoniam rationes in ea summarie examinabantur, seu, ut scribit Moles, per *bilancium*, *& breve levamentum* (2).

Ubi vero quid controversiae oriebatur, cognitio ad magnum justitiarium pertinebat, cujus erat definire quaestiones omnes inter fiscum, & privatos (3): eique rei adsignati erant viri rationum supputandarum, & juris periti, qui *magistri rationales Magnae Curiae* dicebantur. Interdum vero, quo expeditius rationes dispungerentur, & controversiae, si quae orirentur, definirentur, magistri rationales simul cum magno camarario, & praesidentibus conveniebant. Atque ita legimus sub Carolo I. *rationem positam esse per regium thesaurarium coram magistris rationalibus Magnae Curiae, & coram Camara Regia quae est in castro S. Salvatoris ad mare, quod vulgo dicitur, & appellatur Castrum Ovi* (4).

At Alfonsus I. Aragonius, quo regii fisci negotia promtius expedirentur, haec duo tribunalia univit, seu potius magistris ratio-
na-

(2) Moles de orig. trib. Reg. Camar. §. 26.

(3) Const. caussas, & Const. quaestiones.

(4) Moles d. §. 26. ex regestris Caroli I. anni 1265.

nalibus abolitis, eorum auctoritatem Regiae Camarae, ejusque praesidentibus attribuit, ut rationum supputatio ratiocinatorum esset, qui *rationales* dicuntur: controversiarum definitio, & jurisdictio omnis praesidentium, & locumtenentis magni camararii (5). Ab hoc tribunali initio ad Sacrum Consilium provocabatur (6). Sed Ferdinandus I. Aragonius, ne fiscalium caussarum definitio retardaretur, anno 1482. vetuit a Regia Camara aliud tribunal appellari: jussitque a Regiae Camarae seu interlocutionibus, seu sententiis ad idem tribunal provocari, quam reclamationem appellant, facta tamen exsecutione cum cautione de restituendo in casu retractationis (7).

Ptaesidentes, qui locumtenenti magni camararii adsidebant, olim sex fuere, quatuor juris periti, duo juris imperiti (8). Tum is numerus interdum auctus, interdum deminutus est: sed demum ordinarius duodecim praesidentium factus est, quorum sex sunt juris periti, qui *togati* dicuntur, sex juris imperiti, qui *brevioris togae* appellantur, quique ra-

(5) Topius de orig. trib. part. 1. lib. 4.

(6) Marinus Freccia de subfeud. tit. de offic.magistr. camar. num. 15. & 16.

(7) Pragm. 37. §. 2. 3. 9. & 10. de off. proc. Caesar.

(8) Constant. lib. 16.

rationibus examinandis operam dant, in controversiis juris suffragium minime ferunt (9). Praeter praesidentes quatuor in hoc tribunali sunt fisci patroni duo juris periti, seu *togati*, duo juris imperiti seu *brevioris togae*.

Praesidentium cum locumtenente initio unum consilium, seu, ut vulgo ajunt, una aula fuit. Deinde sub Philippo II. altera addita est (10). Denique sub Philippo IV. tertia accessit (11). Caeterum in hoc tribunali caussae omnes junctis aulis, seu in aula prima tractandae sunt, nisi quod locumtenens quasdam in secunda, vel tertia tractari mandet (12). Et plerumque caussae de ratiociniis universitatum in secunda aula: caussae de praestationibus, seu de oneribus earumdem universitatum, & de descriptione bonorum, quam catastum dicunt, in tertia aula tractari mandantur.

Caussae porro, quae ad Regiam Camaram pertinent, sunt quaecunque regium aerarium spectant: cujusmodi sunt primo caussae, in quibus fiscus est actor, reus, vel auctor laudatus, quo referri possunt caussae de inventione thesaurorum, fodinarum, aliarumque rerum ad fiscum pertinentium: item

(9) Pragm. 77. de off. proc. Caesar.
(10) Prag. 68. de off. proc. Caesar.
(11) Pragm. 75. §. 51. d. tit.
(12) Pragm. 68. §. 3. & 4. d. tit.

item causſae de natura , & qualitate feudorum . II. causſae de ratiociniis regii theſaurarii , quaeſtorum provincialium , ſeu *perceptorum* , aliorumque omnium , quibus publicae pecuniae cura commiſſa eſt ; quo referri debent cauſſae de ratiociniis adminiſtratorum univerſitatum . III. Cauſſae de dolo, & culpa hujuſmodi officialium in adminiſtratione commiſſa . IV. cauſſae Regiae Dohana Apuliae , tam illae, quae ipſius Dohanae adminiſtrationem reſpiciunt , quam cauſſae appellationum ab ea , V. cauſſae fiſcalium praeſtationum , ſcilicet tributorum , & vectigalium , immunitatiſque ab eis . VI. cauſſae univerſitatum , quae a juriſdictione baronum ſe exemtas adfirmant , vel eximi poſtulant , ſeu , ut ajunt , *regium demanium* petunt (13).

C A P U T V.

De militaribus judicibus , ubi de judice magni admirati.

SUb Normannis , Suevis , atque Andegavis regibus nulli apud nos fuere judices militares , quod nulli eſſent ſtati , & mercenarii milites . Sed ubi Aragonii coepere met-

(13) Pragm. 61. & 62. de off. proc. Caeſar.

mercenario milite uti, veriſimile eſt militum praefectum non ſecus, ac veterem magiſtrum militum omni militiae jus dixiſſe, eumque adſeſſore juriſperito uſum, qui auditor generalis exercitus dictus eſt: adſeſſores enim magiſtratuum auditores dicti ſunt, quod eorum eſſet litigatores audire, & de controverſia cognoſcere, ut magiſtratus religionem inſtruerent, & conſilio juvarent. Id ſub Ferdinando Catholico, ſequutiſque Auſtriacis regibus, qui per vicarios, qui domi, militiaeque praeerant, regnum adminiſtrabant, magis ſtabilitum fuit, auditorque generalis exercitus juriſdictio firmata, ut diſcimus ex privilegio Caroli V. in noſtris pragmaticis relato (1).

Hujus autem auditoris generalis exercitus juriſdictio eſt in omnes milites, qui ſeu ob pecuniariam, ſeu ob criminalem cauſſam conveniuntur, in Campania quidem in primo judicio: in reliquis vero regni provinciis in judicio appellationis, quoniam in primo judicio praeſes ex unius auditoris ſuffragio jus dicit (2).

Excipiuntur vero ex criminalibus cauſſis furta in viis publicis commiſſa, atque arma adſumta in locis campeſtribus, quae vulgo dicitur *armatio in campania*; uti & delicta admiſſa

(1) Pragm. 11. pr. de re milit.
(2) Pragm. 20. d. tit.

missa ante nomen militiae datum, ne ea ratione detur iis, qui deliquerunt, legitimam poenam evadere (3). Ex pecuniariis vero excipiuntur caussae feudales, fideicommissorum, concursus creditorum, cessionis bonorum, atque adsistentiae; quarum omnium cognitio non ad militares judices, sed ad civiles pertinet. Ad ordinarios quoque judices spectant caussae, quae coram iis coeperant, antequam reus militiae nomen dedisset (4).

Illud hic notatu dignum non posse milites ob debitum in carcerem trudi, nec arma, equos, vestes lectum pignori capi, nisi ob debitum regii fisci, vel ex caussa mercimonii, vel debitum contractum ante nomen militiae datum (5).

II. Auditoris generalis exercitus jurisdictio est in milites novae militiae, qui scilicet milites fiunt non, ut sub signis mereant: sed quum opus fuerit a principe evocati militent, qui vulgo dicuntur *soldati del battaglione*. Hi in caussis pecuniariis, vel criminum communium ordinariis subsunt judicibus: ob delicta vero militaria, nec non ob communia ab iis, quum militant, admissa, a militaribus judicibus plectuntur: in Campania quidem ab auditore generali exercitus in

(3) Pragm. 11. §. 14. & prag. 20. de re milit.
(4) Pragm. 20. d. tit.
(5) Pragm. 20. d. tit.

in reliquis vero provinciis a praeside de unius auditoris sententia, a quo ad auditorem generalem exercitus provocatur (6).

III. In veteranos, qui militia quidem missi sunt, stipendiis tamen militaribus fruuntur, qui vulgo *piazze morte* nuncupantur. Hi quidem in Campana provincia jurisdictioni auditoris exercitus in caussis criminum aeque, ac pecuniariis subsunt: in reliquis vero provinciis in pecuniariis caussis ordinariis parent judiciis: criminum vero coërcitio ad praesidem spectat de unius auditoris sententia, a quo ad auditorem generalem exercitus provocatur (7).

IV. In omnes artifices, qui in palatio principis artibus seu liberalibus, seu mechanicis operam dant, quare in musicos, cantores, & psaltrias regii theatri jurisdictione utitur (8).

Denique auditor generalis exercitus cognoscit de appellationibus a sententiis auditorum regiorum castrorum (9).

Ab auditoris vero generalis exercitus sententiis nulla est ordinaria appellatio, sed extra ordinem provocatur adito principe, qui appellationis caussam alii judici demandat (10).

Quanquam autem superiores personae, ut di-

(6) Pragm. 16. de re mil.
(7) Pragm. 11. §. 7. d. tit.
(8) Pragm. 11. §. 5. d. tit. Tassonus de antefat. vers. 3. obs. 3.
(9) Pragm. 11. §. 12. d. tit.
(10) Tasson. de antef. loc. tit.

dictum est, ordinariorum judicum jurisdictione eximantur ; tamen ubi delictum admiserint permittitur ordinariis judicibus, seu regiis, seu baronalibus judiciaria acta pro delicti probatione conficere, & reos, si opus sit, capere, eosque simul cum judiciariis actis ad militares judices transmittere (10).

Praeterea pro continenda militari disciplina solent duces, militumque praefecti militaria delicta plectere. Ad haec graviorum criminum coërcitionem, seu in primo judicio, seu in judicio appellationis solet princeps mandare peculiaribus judicibus, qui simul cum primariis militum praefectis extraordinarium consilium constituunt, quod vulgo dicitur *Giunta di guerra*.

Praeter auditorem generalem exercitus est & alius militaris judex, qui dicitur auditor triremium, qui classi praeest. Is jurisdictione utitur in omnes, qui militant in classe, regiisque triremibus, quique classis, triremiumque servitio adscripti sunt. Hi, ubi in classe deliquerint, vel extra classem in eum, qui auditoris triremium jurisdictioni subest, ab eodem puniuntur : in reliquis vero delictis, uti & in pecuniariis caussis ordinariis parent judiciis (11). Quod ita accipiendum est, ut mi-

(10) Pragm. 11. §. 11. de re milit.

(11) Ex mandatis Philippi II. quae vulgo *instructiones* dicuntur, ut scibit Constantius ad L. un-

milites a militaribus, pagani a civilibus judicibus dijudicentur (12).

Ab hujus quoque auditoris triremium sententiis extra ordinem ad principem provocatur, qui caussae cognitionem judici, quem elegerit, demandat (13).

Fuit olim & alius militaris judex, qui hodie inter civiles connumeratur, nempe judex magni Admirati. Magnus enim Admiratus, quum classi, omnique rei maritimae praeesset, curam navium habebat, atque in omnes milites, paganosque, qui maritimam artem exercebant jurisdictione utebatur. Sed istituto postea auditore generali exercitus, atque auditore triremium, ejus auctoritas deminuta est. Ita enim legitur in mandatis Caroli V. *concedimus etiam Admirato praedicto, quod habeat & habere debeat jurisdictionem tam in civilibus, quam in criminalibus contra locumtenentem, judices, & actorum magistrum, necnon recommendatos, usque ad numerum quinquaginta, ac deputatos, & deputandos ad servitia, & custodiam nostrorum tarsionatuum, necnon comitos, magistros calefatos, canaparios, & carpentarios galearum, & vasorum quo-*

un. C. de classicis, & de Marinis ad decis. 81. Revert.

(12) Pragm. 11. & 20. de re milit.

(13) Tassonus de antes. vers. 3. obs. 3. tribunal. 20.

quorumcunque , ac marinarios omnes, & quoscunque alios , qui eorum vitam ex industria., & arte maris ducunt ; sive in mari , sive in terra deliquerint, & contraxerint non obstante, quod praedicti tales renunciaverint privilegiis eorum (14).

Ab hujus judicis seu sententiis, seu interlocutionibus ad Sacrum Consilium provocabatur: sed quum hodie, ejus auctoritas omnis, & jurisdictio in tribunal, quod dicitur *Admirati*, *& Consulatus*, a Ferdinando IV. felicissimo nostro rege translata sit, ut capite sequenti dicemus; ab eo tribunali ad supremum Commercii tribunal appellandum est.

CAPUT VI.

De tribunali Commercii , & tribunalibus Consolatus terrae , & maris.

NOn modo Regalis Camara S. Clarae a Carolo Borbonio instituta fuit, sed duo quoque alia suprema tribunalia , scilicet tribunal Commercii , & tribunal Mixtum de quibus dicendum . Et quidem Carolus Borbonius prudentissimus rex, quod mercimonia ad opes, & regni felicitatem cum primis faciant , ea fovenda curavit: eaque re novum tri-

(14) Cap. 11. mandatorum , seu *instructionum* apud Tapiam de off. magn. Admir.

tribunal instituit, quod *tribunal Commercii* dictum est. Id constare voluit ex praesidente, tribus senatoribus, totidemque equitibus, & duobus negotiatoribus, referendario, & eo, qui esset a secretis: eique tribunali praefectum creandum statuerat, cujus dignitas, atque officium ad septem supremas regni dignitates, seu officia octavum accederet (1).

Ad hujus tribunalis curam pertinere voluit, quaecunque ad commercia fovenda generatim spectant: nec non caussas omnes de commerciis, & negotiatione, potissimum de litteris collybisticis, tam in primo judicio, quam in judicio appellationis a quovis tribunali, veluti a judice magni Admirati, a tribunalibus artis serici, & lanificii: praeterea ad idem tribunal appellari voluit a tribunalibus Consulatus terrae, & maris, seu urbano, seu provincialibus. Instituerat enim non modo in hac principe urbe, sed etiam in singulis provinciis minora tribunalia, quae de mercimoniis, & negotiatione cognoscerent, quae tribunalia Consulatus terrae, & maris dicta sunt. Ab horum sententiis in caussis infra summam centussium quinquaginta nulla fuit provocatio: in caussis vero supra eam summam, sed infra summam centussium trecentorum appellatio ad tribunal Commercii per-

(1) Prag. 1. de off. magist. Comm.

permiſſa fuit, quae tamen ſententiae exſecutionem non impediret, ſeu, ut vulgo aiunt, quoad *actum devolutivum*, *non ſuſpenſivum*: denique in cauſſis, quae centuſſes trecentos excederent appellatio jure ordinario tributa eſt (2).

Sed anno 1746. re accuratius perpenſa, & populi Neapolitani precibus tribunalia Conſulatus terrae, & maris abolita ſunt, exceptis tribunalibus Baruli, Siponti, Crotonis, Gallipolis, Rhegii, & Neapolis, quae conſtabant duobus conſulibus, & adſeſſore, Neapoli quidem proprio, aliis in locis vero ipſo judice ordinario. Ab horum ſententiis tribunal Commercii appellabatur. Reſtricta quoque fuit horum omnium tribunalium juriſdictio ad externas negotiationes, ſeu, ubi agitur de negotiatione, vel litteris collybiſticis inter exteros, vel inter cives, & exteros. Numerus etiam judicum tribunalis Commercii imminutus fuit: nam equites, & negotiatores ab hoc numero excluſi ſunt addito quarto ſenatore, ut in tribunali praeſes, & quatuor ſenatores interſint (3).

Illud hic non omittendum in cauſſis externae negotiationis adeo propriam eſſe hu-

 jus

(2) V. d. pragm. 1. de off. magiſt. Comm. & pragm. 1. de off. Conſul.

(3) Pragm. 5. 6. & 11. de off. tribun. Comm.

jus tribunalis jurisdictionem, ut universitates in eo recte conveniantur (4): atque ut de stellionatu, & fraudibus in contractibus jure cognoscat, atque in sontes animadvertat (5).

Tandem providentissimus noster rex, ut melius negotiationi, & rei maritimae consuleret, postridie nonas Decembres anni 1783. lege lata tribunal magni Admirati, & tribunal Consulatus terrae, & maris hujus urbis abolevit, seu potius in unum univit, quod appellari voluit tribunal Admirati, & Consulatus, atque in illud, quae antea utriusque tribunalis fuerat, omnem auctoritatem, & jurisdictionem transtulit. Hoc tribunal constat ex praeside, quatuor judicibus, fisci patrono, & pauperum advocato. Praases ex praesidentibus Regiae Camarae Summariae, vel regiis consiliariis a rege deligitur: judices duo sunt jurisperiti, seu togati, quorum unus de capitalibus, alter de pecuniariis caussis cognoscit: duo vero mercatores juris imperiti, qui *adsessores*, dicuntur, quique in solis pecuniariis caussis suffragium ferunt: in capitalibus consilio juvant. Praesidentis, uti & patroni fisci munus perpetuum est, seu ex regis arbitrio pendet: judicum vero biennium durat. Hi omnes semel in hebdomada horis po-

(4) Pragm. 9. d. tit.
(5) Pragm. 11. d. tit.

pomeridianis congregantur, ut caussae in tribunali tractentur; nisi aliud praesidi ex necessaria caussa visum fuerit, ut frequentius eos congregandos existimet.

Id tribunal cognoscit de omni re maritima, seu de caussis nautici foenoris, naulorum, societatum maritimarum, periculi aversi, vulgo *adsecurationis*, naufragiorum, & similium, cujuscunque conditionis sint litigatores. Item de caussis seu capitalibns, seu pecuniariis eorum, qui rei maritimae operam dant, uti sunt nautae, piscatores, domini, exercitores, & magistri navium, necnon fabri, & funium artifices, immo & stuppae, & picis pro navibus venditores.

Ab eo in caussis, quae non excedunt summam centussium quincentorum aliud tribunal appellari non potest: sed in caussis, quae eam summam excedunt, ad tribunal Commercii provocatur. In caussis criminum vero ad tribunal Commercii appellatur a decretis, quibus irrogatur poena mortis, mutilationis membrorum, aliave corporalis, vel infamia: a reliquis nulla est provocatio.

In superioribus vero caussis adeo propria est hujus tribunalis jurisdictio, ut reliqua tribunalia in iis procedere nequeant: atque ad ea hoc tribunal litteras *hortatorias* mittat, ut ad se acta transmittantur. Quod si de jurisdictione inter hoc, & alia tribunalia contentio oriatur; ea examinanda erit a Regali

Camara S. Clarae audito fisci patrono hujus tribunalis.

CAPUT VII.

De tribunali Mixto.

ALterum supremum tribunal, quod a Carolo Borbonio institutum fuit, est tribunal Mixtum, ita nuncupatum, quod ei regii, & ecclesiastici judices praesint. Etenim quum Carolus conventione cum summo pontifice inita plurima publico bono constituisset de immunitate locorum piorum, & personarum ecclesiasticarum, ut ea adamussim servarentur, & de iis natae controversiae definirentur; novum hoc tribunal instituit; quod quinque judicibus constat, quorum duo a rege, duo a summo potifice creantur: quintus, qui tribunali praeest, e tribus per regem nominatis a summo pontifice deligitur. Horum munus triennium durat, eoque finito statim expirat, nisi prorogatum fuerit ab eo, ad quem ejus judicis creatio pertinet (1).

Hujus tribunalis est jus dicere de immunitate ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum, ut suo loco dicemus. Immo etiam interdum de immunitate a vectigalibus, si scilicet loca pia, vel ecclesiasticae personae ve-

(1) Cap. 9. Concord.

veluti episcopi sibi ampliorem a vectigalibus exemtionem deberi contendant. Praeterea ad hoc tribunal pertinet curare ecclesiarum, locorumque piorum administrationem, quae a laicis gubernantur, & controversias de ea re definire: necnon curare, ut legata pia impleantur, & debitores per competentes magistratus compellantur. Ab hujus tribunalis sententiis nulla est provocatio, quum supremum sit. Neque propriis carceribus, neque satellitibus utitur, sed prout res exegerit, carceribus, & satellitibus judicis laici, vel ecclesiastici. Acta denique omnia in eo gratis fiunt, nisi pro transcribendis instrumentis duo asses in singulas paginas penduntur (2).

CAPUT VIII.

De Curia Cappellani Majoris, & de extraordinario consilio puniendis gravioribus clericorum delictis.

QUum primum christiani principes sacella in suis domibus construere coeperunt, presbyteros, & clericos in iis instituerunt, qui *regii cappellani* dicti sunt. Nam sacella sequiori aetate *cappellae* dicebantur, & presbyterii sacellis praefecti *cappel-*

(2) Cap. 9. Concord.

pellani (1). Ejusmodi regii cappellani jam usque a Normannorum tempore apud nos fuere: quoniam Normanni principes sacella in suis domibus habebant: quumque non solum in principe urbe palatium, sed aliis quoque in locis domos haberent, & in urbano palatio, & in aliis domibus sacella habebant, quibus presbyteri praefecti erant: immo urbano sacello verisimile est non unum, sed plures presbyteros fuisse addictos, qui omnes regii cappellani nuncupabantur. His qui praeerat, *magister regiae cappellae*, *archicappellanus*, & *cappellanus major* dictus est (2).

Is Cappellanus Major initio nulla jurisdictione in reliquos cappellanos usus est, neque spiritali, neque temporali, sed ipse, ut caeteri regii cappellani magno Cancellario suberant (3). Ad magnum enim Cancellarium omnis ecclesiasticarum rerum cura, & cognitio pertinuit: is enim exsequebatur quaecunque extraordinariae regiae jurisdictionis, & cognitionis fuere. Sed procedente tempore, & spiritali, & temporali jurisdictione Cappellanus Major auctus est. Quonam tempore id factum, non constat. Marinus Freccia (4) id sub Alfonso I. usuvenisse putat: au-

(1) Cangius V. Cappella.
(2) Chioccarellus tom. 2. M. S.
(3) Marinus Freccia de subf. lib. 1. de off. M. Cancellarii num. 20. & 25.
(4) Freccia l. c.

auctor vero historiae civilis sub Carolo I. Andegavo (5). Sed mihi verisimile videtur Cappellani Majoris auctoritatem, & jurisdictionem paulatim crevisse: nam initio illius auctoritas in eo sita fuit, ut regiae cappellae curam haberet, & regiis cappellanis praeesset, iisque, quae facienda erant, mandaret. Tum sub Andegavis regibus, vel potius Aragoniis, & Austriacis, ubi magni Cancellarii coepit languescere auctoritas, Cappellanus Major temporali jurisdictione in regios cappellanos, regiasque cappellas auctus est. Demum pontificiis concessionibus, spiritali, & quasi episcopali jurisdictioue donatus est.

Auctoritas igitur Cappellani Majoris & spiritalis, & temporalis est. Spiritalis in eo sita est, ut jurisdictione, & auctoritate quasi episcopali utatur in omnes regias cappellas, & regios cappellanos, omnes militares copias, omnesque eos, qui in militia, militaribusque copiis inserviunt; quare cappellas regias consecrat, & iis benedicit, uti etiam consecrat sacra vasa, & altaria: visitat omnes cappellas regias, in iis clericos, & presbyteros creat, militaribus copiis sacramenta omnia ministrat, presbyteros ad audiendas confessiones eligit: & a peccatis quantumvis enormibus absolvit (6).

Sunt

(5) Auctor H. C. lib. 11. cap. 6. §. 3.
(6) Legantur bullae Benedicti XIV. anni 1740. &

Sunt vero Cappellae regiae non modo, quae in regiis domibus, & castris exstructae sunt, sed etiam, quaecunque a regibus aedificatae sunt, aut fundis, seu dote auctae: immo & quas ipsi reges ex peculiari devotione, quamvis a privatis exstructas, ab ipsa aedificatione regias cappellas declararunt. Quae omnes ab episcoporum jurisdictione, adhuc in spiritalibus eximuntur, & Cappellano Majori subsunt (7). In his praecipuae cappellae regiae sunt Altamurana, & ecclesia S. Nicolai Bariensis (8).

Temporalis vero jurisdictio in eo vertitur, ut cognoscat caussas omnes regiorum cappellanorum, clericorumque, uti caussas professorum, & auditorum regii gymnasii hujus urbis, cujus cura ei mandata est (9), caussasque de regiis cappellis, eorumque bonis: necnon cognoscat de appellationibus ab ecclesia Altamurana, & Bariensi: Prior enim Bariensis, & Archipresbyter Altamuranus in suos presbyteros, & clericos jurisdictione utuntur (10).

Quum

& 1741. quarum postrema extat in 4. tom. pragm. de jurisdict. Capp. Maj.

(7) Concord. cap. 5. num. 1.

(8) Chioccarellus tom. 7. M. S.

(9) Pragm. 1. de regim. stud. part. 1. tit. 1.

(10) Tassonus de antef. ver. 3. obser. 3. tribun. 9.

Quum autem omnes regiae cappellae, seu regiae ecclesiae Cappellano Majori sublint, hinc caussae omnes de bonis, & reditibus regiarum ecclesiarum, quaeque regii patronatus sunt, ad eum pertinent adhuc, si ea bona feudalia esse dicantur, sive ecclesiae agant, sive conveniantur: immo, si vel maxime regii fisci intersit, puta quod regia ecclesia a fisco, vel fiscus ab ea bona vindicet; quo casu fisci patronus audiendus est (11): caussae de regio vel feudali patronatu (12): & caussae de ratiociniis oeconomorum regiarum ecclesiarum (13).

Hanc vero jurisdictionem Cappellanus Major exercet cum consilio adsessoris, qui est unus ex regiis consiliariis ab ipso rege huic rei destinatus. Ab hujus seu interlocutionibus, seu sententiis extra ordinem provocatur precibus adito principe, qui alium judicem appellationis deligit, a quo si fuerit confirmata in primo judicio lata sententia, non licet iterum provocare (14).

Praeterea saepissime ad Cappellanum Majo-

(11) Collect. reg. lit. tit. 11. num. 4. & 5.
(12) Collect. reg. lit. tit. 11. num. 3. 7. 8. & 9.
(13) Collect. reg. litt. d. tit. 11. num. 1. & 2.
(14) Tassonus de antes. loc. cit. & Collect. reg. litt. tit. 10. num. 3.

jorem pleraeque caussae remittuntur, ut in iis jus dicat, vel ad ipsum principem referat, quid sibi videatur. Sed caussae, quae frequentissime ad Cappellanum Majorem remittuntur, sunt caussae graviorum criminum ab ecclesiasticis admissorum. In iis non solus Cappellanus major cum consilio ordinarii adsessoris jus dicit, sed una cum duobus aliis regiis consiliariis, qui ab ipso rege deliguntur referente uno ex judicibus Magnae Curiae Vicariae criminalis, & interveniente fisci patrono. Qui omnes extraordinarium consilium constituunt: in eo vero suffragium ferunt duntaxat duo regii consiliarii, Cappellanus Major, atque ejus adsessor.

CAPUT IX.

De tribunalibus artis serici, & lanificii, & de reliquorum artificum consulibus.

FErdinandus I. Aragonius, quum artem serici & lanificii apud nos introduxisset, utriusque artis tribunalia instituit. Etenim is jussit quotannis ab artis serici professoribus tres consules deligi, qui jus dicerent in omnibus caussis, seu criminum, seu pecuniariis eorum, qui illam artem exercerent, quorum nomina essent in libro descripta, quique vulgo *matricolati* dicuntur. Quos poena pecuniaria plectendos statuit, si opus perperam fe-

fecissent, cujus poenae medietatem fisco, medietatem in utilitatem ipsius artis cedere voluit. A consulum sententiis jussit ad judicem appellari a Magdalunensium Comite delectum(1). Sed procedente tempore introductum, ut interdum ad Regiam Camaram, interdum ad Sacrum Consilium provocaretur. Ad Regiam Camaram, si quidem quaestio fuerat de opere minus recte facto, quoniam tunc de poena exigenda tractabatur, cujus medietas ad fiscum spectabat: in reliquis vero caussis ad Sacrum Consilium. At ubi praeterito saeculo fiscus medietatem poenae, quae sibi debebatur, coenobio S.Philippi, & Jacobi concessit, desiit ad regiam Camaram provocari.

Hoc tribunal autem ex tribus consulibus constat, & adsessore jurisperito: cognoscitque de caussis, quae ad artificium ipsum pertinent, nempe opus perfectum sit, nec ne, & de salario, quod artificibus debetur: deinde de caussis eorum, qui huic arti operam dant, quique in libro descripti sunt, & in Urbe degunt, seu pecuniariae, seu criminum sint, modo ipsi conveniantur, & modo rei non sint graviorum criminum, quae morte plectenda sunt: nam de ejusmodi delictis rex

(1) V. privileg. Ferdinandi Aragonii anni 1474. & 1482. quae in archivo ejus artis adservantur.

rex esset consulendus : sed hodie obtinet, ut Magna Curia cognoscat (2).

Ab hujus tribunalis seu sententiis, seu interlocutionibus ad Sacrum Consilium, ut dictum est, provocatur, & quando ab interlocutionibus provocatur, adsessor Sacrum Consilium adit, & de interlocutione refert (3).

Idem Ferdinandus I. Aragonius, quum artem lanificii introduxisset consulibus ejusdem artis parem jurisdictionem concessit, ut de caussis cognoscerent eorum, qui artem lanificii profiterentur, quique in libro essent descripti, atque ita tribunal hujus artis instituit. Constat autem hoc tribunal ex consulibus, & adsessore jurisperito: cognoscitque de operibus ab artificibus confectis, de mercede illis debita, & de criminibus, uti & de caussis pecuniariis eorum, qui in libro descripti sunt, modo in hac principe urbe degant. Atque ab hujus sententiis, & interlocutionibus ad Sacrum Consilium appellatur (4).

Reliqui quoque artifices consules habent, qui quotannis deliguntur, quique cognoscunt

(2) V. d. privileg. & edictum Caroli Borbonii anni 1740., & de Marinis lib. 2. resol. cap. 232.

(3) Tassonus de antef. vers. 3. observ. 3. tribunal. 13.

(4) Tassonus l. c. tribunali 14.

ſcunt de operibus ab artificibus confectis, probane ſint, an non, & de ſalario quod artificibus debetur, eaque de cauſſa exſecutionem in rem, & in perſonam debitoris decernunt: ſed nihil horum faciunt, niſi juſſi a regio conſiliario, cui id muneris datum eſt, quique *delegatus* vulgo nuncupatur, a quo etiam decreta exſecutio pro debitis comprobanda eſt.

CAPUT X.

De Regiis Audientiis.

HActenus de praecipuis urbanis magiſtratibus, ſequitur, ut aliqua de provincialibus dicamus. Rogerius rex, ubi univerſi regni potitus eſt, juſtitiarios, & camararios, ut dictum eſt, ſingulis provinciis praefecit; quorum illi criminibus coërcendis, hi pecuniariis cauſſis, & publicae pecuniae praeeſſent. Quot initio fuerint noſtri regni provinciae, & quot in iis juſtitiarii, incertum eſt: immo non ſemper ſingulis provinciis ſinguli juſtitiarii praefuere (1). Hi interdum, *gubernatores provinciarum*, & *vicereges* dicti ſunt, ſaepiſſime vero *praeſides* (2); quae ap-

(1) Auctor H. C. lib. 17. cap. 5.
(2) Tapia ad rub. de off. juſtit.

appellatio vetus est, quippe quae in nostris constitutionibus occurrit (3). Justitiarii adsessoribus utebantur, qui judices nuncupabantur (4). Sed procedente tempore auditores appellati sunt, quod iis sola quaestionum audientia committeretur (5), hoc est, iis a praeside mandaretur, ut advocatos litigatoresque audirent, ut veritatem facti investigarent, ut praesidis religionem possent instruere; quod in caussa est, cur fere omnes magistratuum adsessores auditores nuncupati fuerint. Quumque deinde praesides coepissent esse juris imperiti, vetitum est eis quid facere eorum, in quibus jus vertitur, sine auditorum suffragio (6).

Auditores olim singuli singulis praesidibus adsidebant (7). Sed aetate Philippi II. duo auditores in singulis provinciis fuere, excepta Calabria, quae una erat provincia, & in qua tres erant auditores: nec non Ulteriori Principatu, in quo unus auditor fuit (8). At

(3) Constit. praesides.
(4) Constit. justitiarii per provincias, & Const. occupatis.
(5) Const. justitiarii non per calendas.
(6) Cap. item quod praedicti 130. & Pragm. 10. §. 34. de off. judic.
(7) Const. occupatis.
(8) Caravita ad rit. M. C. 53.

At sequutis temporibus tres auditores in singulis provinciis creati sunt.

Quale autem fuerit justitiariorum munus, facile est ex nostris constitutionibus intelligere: etenim primo eorum erat in facinorosos animadvertere, & graviora crimina, punire, quaecunque poenam mortis, vel mutilationis membrorum merebantur: deinde cognoscere de feudis non quaternatis, & bonis feudalibus usque ad sententiam definitivam, quam deinde Magna Curia ferebat: deque omnibus quaestionibus inter fiscum, & privatos, in quibus una cum camarariis procedebant ad sententiam usque, quam Magna Curia pariter pronunciabat: & denique de pecuniariis caussis judicare, ubi bajuli, & camararii suo muneri defuerant, hoc est caussam sibi commissam intra bimestre definire cessaverant (9). Olim ad eos, ut videtur, a camarariorum sententiis provocabatur: sed id primum a Guillelmo I. deinde a Friderico II. vetitum appellatione ad Magnam Curiam statuta (10).

Ea initio fuit justitiariorum, & regiarum audientiarum auctoritas: sed procedente tem-

H 2 pore

(9) Const. justitiarii nomen, Const. praesides provinciarum, & Const. quaestiones.

(10) Const. officiorum periculosa confusio, & Const. justitiarii per provincias.

pore ea partim aucta, partim imminuta est: nam caussae feudales, & quaestiones inter fiscum & privatos factae sunt cognitionis Regiae Camarae; capitalium quoque caussarum cognitio in primo judicio regiis audientiis ademta institutis *capitaneis*, seu gubernatoribus. Et contra appellatio eis concessa etiam in caussis pecuniariis, quod utrumque jam aetate Ferdinandi I. obtinebat (11).

Igitur hodie regiae audientiae cognoscunt de appellationibus ab inferioribus judicibus seu regiis, seu baronalibus, & seu in caussis criminum, seu pecuniariis (12).

Deinde cognoscunt de sententiis inferiorum judicum, quibus poena mortis, triremium, vel mutilationis membrorum fuerit irrogata, adhuc sine ulla provocatione: quoniam ejusmodi sententiae exsecutioni mandari nequeunt, nisi a regiis audientiis confirmatae. Id consuetudine merito introductum, ut de capite civium non sine maturiori judicio statuatur. Similis consuetudo obtinet in sententiis regiarum audientiarum, quibus rei ad mortem, ad triremes, vel ad membrorum mutilationem damnantur; quae exsecutionem mereri non possunt, nisi a Magna Curia comprobatae. Quod nostris pragma-

(11) Prag. 2. ubi quis de delict. conv. deb.
(12) V. d. pragm. 2. ubi de delict. &c.

maticis confirmatum fuit (13); in quibus, etsi mentio fiat caussarum, in quibus *ad modum belli* proceditur; tamen idem generatim obtinet in omnibus caussis, in quibus ejusmodi graviores sententiae proferuntur. Ideo vero pragmaticae caussas meminerunt, in quibus *ad modum belli* proceditur, quoniam in iis non licet provocare, & idcirco videri poterant sententiae regiarum audientiarum esse exsecutioni mandandae.

Denique sunt quaedam caussae, quarum cognitio jure singulari ad regias audientias spectat. Etenim I. caussae pupillorum, viduarum, miserabiliumque personarum, si regiae audientiae forum sibi delegerint, ad eam pertinent; quod consuetudine primum introductum lege lata Robertus stabilivit (14). II. Ad regias audientias pertinet cognoscere de delictis inferiorum judicum in officio commissis; quod initio magistro justitiario tributum fuit (15): sed deinde seu ex consuetudine, seu nova Friderici II. constitutione, quam refert Afflictus, id juris justitiariis, & regiis audientiis communicatum fuit (16). Caeterum usus servat, ut de deli-

(13) Pragm. 10. §. 52. de off. judic.
(14 Cap. quia nulla legis sanctio.
(15) Const. magister justitiarius, & Rit. M. C. 49.
(16) Afflictus ad Const. capitaneorum.

lictis regiorum officialium cognoscat Magna Curia Vicariae, de baronalium vero regiae audientiae, ut supra dictum est.

Denique cognitionis regiarum audientiarum sunt graviora quaedam delicta, in quibus extra ordinem, seu, ut ajunt, *ad modum belli* proceditur. Caverat enim Fridericus II. ut justitiarii sine ulla dilatione, & sine accusatione, & judiciaria sollemnitate punirent famosos latrones, manifestos fures, publicorum itinerum aggressores, & quoslibet recentes, & publicos homicidas (17). Quare ea constitutione videtur permissum justitiariis, & regiis audientiis in hujusmodi gravioribus delictis extra ordinem procedere. At nostris pragmaticis nominatim potestas facta est regiis audientiis extra ordinem, seu *ad modum belli* in certis criminibus procedendi. Ea sunt I. furta commissa in viis publicis, vel in campestribus extra urbes, & pagos. II. incendia domorum, tuguriorum, vinearum, nemorum, silvarum, messium &c. III. crimen plagii, vulgo *recaptus*, adhuc nulla exacta pecunia, modo quis de loco ad locum fuerit adsportatus. IV. quum quatuor, aut plures uniti cum armis prohibitis in agris maleficia committunt. V. raptus mulierum ruri aperta vi admissus. VI. crimina in mari piratarum more commissa. Quod si gravius

(17) Const. justitiarii non per calendas.

vius aliquod crimen occurrerit, ad principem referendum eſt, ut regiae audientiae permittat extra ordinem, ſeu *ad modum belli* procedere: generatim enim in cauſſis criminum, exceptis ſuperioribus, jure ordinario procedendum eſt (18).

Quum autem in Campana provincia nulla ſit regia audientia, uni ex judicibus Magnae Curiae Vicariae id negotii dari coepit, ut jugiter provinciam peragrans proſcriptos, viarum graſſatores, alioſque publicam tranquillitatem turbantes conquireret, & puniret, qui idcirco *commiſſarius Campaniae* dictus eſt. Ad eum pertinet cognoſcere de iis duntaxat criminibus, quae ſunt extraordinariae cognitionis regiarum audientiarum: reliquorum vero delictorum reos ad Magnam Curiam debet remittere, uti de pecuniariis controverſiis, non niſi ex delegatione jus dicere (19).

CAPUT XI.

De Regia Dohana Apuliae.

D*Ohana*, ſiue *adohana* apud Normannos adunationem denotavit, vocabulum ab adohare confictum, quod corrupte pro adunare, ſeu unire dicebant. Sic collectio, ſeu conjun-

(18) Pragm. 10. §. 48. de off. jndicum.
(19) Pragm. 1. de off. judic. general.

juncta descriptio omnium baronum, *dohana baronum* dicebatur (1). Collectio vectigalium, & locus, ubi vectigalia omnia exigebantur, *dohana gabellarum*, seu vectigalium nuncupabatur (2). Hinc congregatio pecudum, quae fit in Apulia, ut pascantur, & vectigalia pendantur, *dohana pecudum* dicta est. Quumque illuc ea de caussa pecudes duci oporteat, *mena* quoque *pecudum* appellata est (*menare* enim ducere Itali dicunt) & interdum *dohana menae pecudum Apuliae*.

Et quidem jam usque a Romanae reipublicae tempore plerique fuere publici fundi in perpetuum, vel ad certum tempus locati: atque in iis plura pascua, potissimum in Apulia, quae quotannis a publicanis locabantur, ut quicunque pecus in ea immittere vellet, id publicano profiteretur, & in tabulas referretur, ex eaque scriptura merces pascui penderetur. Qui inscriptum pecus pavisset, lege censoria illud committebat. Hieme vero pecus in Apuliae pascua immittebatur, aestatae in Samnium abigebatur (3). Id sub imperatoribus quoque obtinuit, ut ex Valentiniani senioris constitutione constat, quae

(1) Const. Magnae Curiae nostrae.
(2) Moles de jur. dohanae §. 1.
(3) Varro de re rustica lib. 2. cap. 1. legendus Burmannus de vectigalibus cap. 4.

quae Luceriae in Apulia lata eſt (4). Quare idem ſub Langobardis, Normannis, Suevis, atque Andegavis regibus factitatum fuiſſe veriſimile eſt.

Sed hujuſmodi vectigal ad Alfonſum I. Aragonium voluntarium fuit, nempe ab iis, qui ſponte in publica paſcua pecus immittebant, ex ſcriptura merces exigebatur. Is primus, quod antea liberum fuit, ad neceſſitatem traduxit, ut ſcilicet paſtores ovium tenerentur quotannis in Apuliam venire, & regia tantum paſcua conducere (8). Eique rei praefectum conſtituit, qui *dohanerius*, ſeu *commiſſarius dohanae* nuncupabatur. Huic dedit cognitionem de rixis, & criminibus, uti & de pecuniariis cauſſis paſtorum, & dominorum pecudum, ut legere licet ex litteris ejuſdem Alfonſi, quibus anno 1447. Franciſcum Montubler dohanerium delegit (6).

Is dohanerius, quum jus inter conductores regiorum paſcuorum dixerit, adſeſſore, ut ipſe conjicio, uſus eſt, qui auditor dictus. Qumque procedente tempore aucti fuerint hujus dohanae reditus, unus ex praeſidentibus Regiae Camarae Summariae ei praefici coepit,

(4) L. 2. C. Teod. de paſcuis.
(5) De Roſa conſult. 70. num. 41.
(6) V. litteras Alfonſi poſt pragm. de off.proc. Caeſ.

pit, qui *gubernator dohanae* nuncupatur, atque fisci patronus additus est. Quare hoc tribunal hodie constat ex gubernatore, auditore, & fisci patrono. Ad gubernatorem pertinet dohanae administratio, & quaecunque publicam rem magis, quam privatam respiciunt. Ad auditorem jurisdictio in caussis seu criminum, seu pecuniariis subditorum Regiae Dohanae. Ad fisci patronum fiscalium jurium tuitio, seu in re criminali, seu in re pecuniaria.

Initio dohanerius cognoscebat de rixis, & controversiis pastorum, dominorumque ovium: sed deinde ejus tribunalis ampliata est jurisdictio in omnes officiales ejusdem, omnes conductores regiorum pascuorum, omnes pecudum pastores, omnesque alios, qui ea de caussa quotannis Apuliam veniebant. Atque de horum caussis tam criminum, quam pecuniariis, si rei essent, Regia Dohana cognoscebat: sin actores, hieme, non aestate ejus tribunalis erat cognitio (7). At procedente tempore ea distinctio negligi coepta, & indiscriminatim subditi Regiae Dohanae adversarios ad suum forum traxere (8).

Im-

(7) Cap. 28. mandatorum, seu instructionum Reg. Doh. apud de Marin. in obser. ad decis. 226. regentis Moles.

(8) Pragm. 79. §. 38. de off. proc. Caesar.

Immo tandem vetitum ſubditis Regiae Dohanae adverſarios alibi, quam in eo tribunali convenire poena propoſita in contra facientes centuſſium trecentorum (9).

Praeterea hoc tribunal cognoſcit de injuriis, atque offenſionibus illatis ſubditis Regiae Dohanae (10).

Adeo vero in ſuperioribus cauſſis jurisdictionem propriam eſſe ejus tribunalis noſtri ſcriptores tradunt, ut ne cives quidem Neapolitani, vel pupilli, viduae, & miſerabiles perſonae queant ejus judicium effugere, Regiae Camarae forum in primo judicio eligentes (11). Quorum opinio neſcio, an non vera ſit. Certe, ubi cives Neapolitani judicio contendere debent, in Regia Camara queunt ſua jura experiri: quum iis ſapientiſſimus noſter rex privilegia ſervari voluerit (12). Quod in civibus Neapolitanis, ſi rei fuerint, multo magis obtinere debet.

Ad haec Regia Dohana praeeſt minoribus judicibus, ſive officialibus, qui in aliquibus urbibus, pagiſque conſtituti ſunt. (13) His minoribus officialibus licet cognoſcere de cauſſis pecuniariis minimis, & de criminibus quae-

(9) Collect. reg. litt. tit. 59. num. 20.
(10) Dict. cap. 28. inſtruct. apud de Mar. l. c.
(11) De Marinis l. c.
(12) Coll. reg. litt. tit. 59. num. 13.
(13) Pragm. 79. §. 19. & 23. de off. proc.Caeſ.

quaerere, seu, ut ajunt, *informationem capere*, reumque, si res exigat, prehendere: tum acta simul cum reo ad Regiam Dohanam transmittere debent. Quod, si non sit in eo loco Regiae Dohanae officialis, permittitur gubernatori seu regio, seu baronali de delicto quaerere, reum, si opus sit prehendere & ad Regiam Dohanam transmittere (14). His vero Regiae Dohanae minoribus officialibus in sportularum exactione non licet excedere summam statutam pro cujusque loci tribunali, seu curia (15).

Sunt autem subditi Regiae Dohanae, quos *locatos* vulgo appellant, duum generum. Nam primo subsunt illius tribunalis jurisdictioni domini, & pastores ovium, qui quotannis Apuliam petunt, & conductores regiorum pascuorum, necnon coloni regiorum arvorum in Apulia, atque hi *locati veri* dicuntur. Deinde subsunt ejusdem tribunalis jurisdictioni coloni fictitii regiorum arvorum & fictitii domini ovium, quas nequaquam possident, qui certa pecuniae summa quotannis fisco soluta litteras a Regia Dohana obtinent, quibus aliorum tribunalium jurisdictione eximuntur; atque hi *locati fictitii* nuncu-

(14) Dict. cap. 28. instruct. & d. pragm. 79. §. 21. & 22.

(15) Collect. reg. litt. tit. 59. num. 12.

cupantur. Illud vero intereſt, inter utroſque, quod locati veri, ubicunque degant, foro Regiae Dohanae utuntur. Locati vero fictitii, ſi in urbibus, & pagis baronum habitent, ejus tribunalis jurisdictioni ſubſunt: ſin in urbibus, locisque regiis, ſeu *demanialibus*, ſeu *allodialibus*, ut ajunt, regiis parent magiſtratibus (16). Deinde locati veri non modo ipſi, & eorum familia, ſcilicet uxor, filii, & conjuncti, qui eadem menſa, & domo utuntur: ſed etiam quicunque eorum ſervitiis addicti ſunt, ſeu, ut eorum perſonae ſerviant, ſeu ut negotia procurent, jurisdictione aliorum tribunalium eximuntur. Contra locati fictitii fori exemtionem habent ipſi, eorumque familia, & famuli, qui eorum domi morantur (17). Denique locati veri, ubi in aliorum tribunalium jurisdictionem conſentiunt ſponte ibi ſua jura exſperientes, poena centuſſium trecentorum plectuntur, in reliquis vero cauſſis fori exemtionem non amittunt. At locati fictitii, qui alia tribunalia adeunt, & in ea conſentiunt, non modo in ea cauſſa, ſed in reliquis quoque fori privilegium amittunt, atque ex numero ſubditorum Regiae Dohanae delendi ſunt (18).

Prae-

(16) Collect. reg. litt. tit. 59. num. 13. 14. 15. 18. & 21.

(17) Collect. reg. litt. tit. 59. num. 10. 11. & 12.

(18) Collect. reg. litt. tit. 59. num. 20., & 28.

Praeterea, si animalia verorum locatorum damnum bonis civium casu dederint, domini ad solam damni reparationem tenentur. Si vero id damnum ab animalibus locatorum fictitiorum datum sit, domini debent & damnum sarcire, & poenam solvere. Quod si damnum dolo malo datum sit, domini extra ordinem puniuntur, seu locati veri sint, seu fictitii, & judici ordinario permittitur de ea re quaerere seu *informationem capere*, & ad Regiam Dohanam referre. Ad haec locati fictitii veniam armorum adsportandorum, quae legibus vetita non sint, a locorum gubernatoribus, aliisque, ad quos ea res pertinet, petere debent: at veri locati eam a gubernatore Regiae Dohanae obtinent (19).

Praeter hos usu receptum est, ut emtores lanae ab ipsis ovium possessoribus Regiae Dohanae subditi sint, litterasque ab eo tribunali obtineant, quibus aliorum tribunalium jurisdictione eximuntur.

Caeterum subditi Regiae Dohanae, seu sint locati veri, seu fictitii, fori exemtionem minime habent in caussis tributorum, vectigalium, administrationis universitatum, aliisque, quae ab iis pendent, in quibus ordinariis, uti caeteri cives, parent judicibus. Praeterea in caussis, quae coeperant in aliis tri-

(19) Collect. reg. litt. tit. 59. num. 12.

tribunalibus, antequam subditi Regiae Dohanae facti essent. Et denique subditi Regiae Dohanae non secus, ac caeteri cives edictis gubernatorum, quae *banna* nuncupant, parere debent, & contra facientes statutam poenam solvere, modo violati edicti caussa ab officialibus Regiae Dohanae fuerit examinata (20).

A sententiis vero Regiae Dohanae ad Regiam Camaram provocatur, ut supra dictum est.

C A P U T XII.

De Gubernatoribus regiis, & baronalibus.

Gubernatorum originem vulgo Gothis tribuunt, qui in singulis urbibus, locisque judices, qui juri dicundo praeessent, constituere (1). Sed quum Gothorum instituta post Justiniani imperium, & Langobardorum adventum fuerint oblitterata, probabilius videtur gubernatorum originem a *capitaneis esse* repetendam; *capitaneos* vero apud nos a Friderico II. fuisse institutos. Is enim Germaorum morem imitatus in quibusdam provinciis, atque in celebrioribus ur-

(29) Collect. reg. litt. tit. 59. num. 12. & 18.
(1) Auctor. H. C. lib. 3. cap. 2. §. 3.

urbibus criminibus coërcendis capitaneos constituit, qui ita dicti sunt, quasi praesides, & praefecti provinciis, vel urbibus. De capitaneis provinciarum mentio occurrit in Friderici II. constitutionibus (2): de capitaneis celebriorum urbium mentio sit in epistolis ejusdem Friderici, in quibus est epistola ad capitaneum urbis Panormi (3). At ubi regnum ad Adegavos pervenit, capitaneorum numerus multiplicatus est; quare in capitulis Caroli principis Salernitani mentio occurrit capitaneorum Neapolis, Capuae Aquilae, Baruli, aliarumque urbium (4). Hujusmodi autem capitaneis sola graviorum criminum coërcitio permissa est, quorum scilicet cognitio ad justitiarios pertinuit, ut de capitaneo Neapolis legitur in ritibus Magnae Curiae (5): & de capitaneo Trebisatii, & Miromanni disertis verbis anno 1433. Ludovicus III. Andegavus Calabriae dux definivit, & anno 1465. Ferdinandus I. Aragonius confirmavit (6).

Hinc fiebat, ut fere in singulis urbibus, locisve duo essent magistratus, capitaneus, qui

(2) Const. capitaneorum.
(3) Apud Martenem tom. 3. anecdoton col.79.
(4) Cap. item statuimus, & ordinamus, quod solvat.
(5) Rit. M. C. item quod capitaneus 55.
(6) V. de Marinis in obser. ad decis. 85. Revert.

qui in facinorosos animadverteret, & bajulus, qui in pecuniariis caussis jus diceret, ut de pagis Trebisatii, & Miromanni ex litteris Ferdinandi I. satis intelligitur.

Ubi vero sub Aragoniis regibus barones imperio aucti sunt, unicum magistratum constituere coeperunt, qui de criminibus, & de pecuniariis caussis cognosceret: idemque in plerisque regiis, seu *demanialibus* urbibus, pagisque princeps factitavit. Hinc aliquibus in locis duo sunt gubernatores, unus, qui criminibus coërcendis, alter, qui pecuniariis caussis definiendis praesit: in aliis vero unus est gubernator, sive capitaneus, qui jurisdictione utatur & imperio.

De horum munere aliud hic monere non oportet, nisi, ubi unus est gubernator, qui imperium, & jurisdictionem habeat, ad eum pertinere omnium caussarum in suo territorio cognitionem exceptis iis, quae ad Magnam Curiam, regias audientias, vel alia tribunalia pertinere superius dictum est; ubi vero alter imperio, alter jurisdictione utitur, ad eum criminalium, ad hunc pecuniariarum caussarum cognitionem spectare secundum formam a Ludovico III. stabilitam, & a Ferdinando I. confirmatam (7).

(7) V. Reverterius, & de Marinis d. decis. 85.

CAPUT XIII.

De Bajulis, sive Ballivis.

B*Ajuli*, *Baili*, *Balii*, & *Ballivi* apud Normannos dicebantur, quicunque alicujus rei potissimum publicae curam, & administrationem habebant. Quare Bajuli in nostris constitutionibus appellantur, qui ecclesiarum vacantium, qui pupillorum feudatariorum, & qui rerum, & pecuniae baronum curam gerunt (1). Hinc factum, ut quibus reipublicae cura, & jurisdictio credebatur, bajuli, sive ballivi dicti sint (2).

Hujusmodi autem vocabulo ante annum 1155. magistratus minime fuisse denotatos Maurini patres credidere (3). Sed male: etenim in constitutione Rogerii regis anni 1140. minores magistratus bajuli nuncupantur (4): & in chronico Falconis Beneventani ad annum 1114. *balia publica* pro magistratu sumitur (5).

Hinc

(1) Constit. pervenit, Const. in aliquibus, & Const. si quando.

(2) Const. bajuli locorum.

(3) In suppl. ad Cancium V. Bajulus.

(4) Const. justitiarios, camararios, castellanos, & bajulos.

(5) Apud Camillum Peregrinum tom. 4.

Hinc ipse conjecturam facio bajulos ante Rogerium fortasse a Roberto Guiscardo apud nos fuisse institutos. Is enim, ubi baronibus imperium, & jurisdictionem ademit, magistratus constituit, qui in singulis provinciis in facinorosos animadverterent, pecuniarias caussas definirent, & publicae pecuniae praeessent, quos verisimile est *ballivos*, sive *bajulos* fuisse appellatos. Quare in chronico Fossae Novae ad annum 1187. legitur: *Hoc anno Laurentius Mediolanensis miles erat ballivus per totam Campaniam, & habebat in sua potestate roccam de Latiano, & Castro* (6)

At institutis a Rogerio rege, ut supra dictum est, justitiariis, & camarariis bajulorum auctoritas non parum fuit imminuta. Quumque hi fortasse pergerent de gravioribus delictis cognoscere, Guillelmus I. eorum auctoritatem ita finivit, ut de pecuniariis caussis cognoscerent exceptis feudalibus; necnon minima furta, & leviora delicta punirent, quae scilicet poenam mortis non mererent (7). Ad haec singuli singulis urbibus, locisve praefecti sunt (8). Institutis denique gubernatoribus eorum jurisdictio, & auctoritas paene de-

(6) Apud Muratorium tom. 7. R. I.
(7) Const. locorum bajuli.
(8) Const. Magistri Camararii, & Const. occupatis.

defecit, alibi tamen amplior, alibi restrictior est.

Quare bajulorum hodie auctoritas est primo, ut cognoscant de damnis illatis seu ab hominibus, seu ab animalibus (9). Ut autem bajulus reum damnare possit, sufficit unius testimonium cum sacramento inventoris, adhuc si inventori damnum illatum sit. Immo si inventor animal coeperit, quod damnum intulit; ejus solius sufficit sacramentum. Condemnatio vero fit ad damni reparationem, & praeterea ad poenam unius augustalis, quam poenam bajulus excedere nequit (10). Quod accipiendum est, si damnum contra bajuli prohibitionem, seu, ut vulgo ajunt, *bannum*, illatum sit: alioqui ad solam damni reparationem, qui damnum intulit, condemnatur, nisi id dedita opera fecerit, quo casu extra ordinem erit puniendus (11).

Deinde ad bajulorum cognitionem pertinent leviores pecuniariae caussae, plerumque infra summam duorum augustalium: sed id ex cujusque loci consuetudine pendet. Illud vero juris bajuli plerique omnes habent, ut apud se queant obligationes, quas vocant *penes*

(9) Const. animalia in vineis, & Pragm. 1. de off. bajuli.

(10) Pragm. 1. de off. bajuli.

(11) Anna singulari 138. Rovitus ad Prag. 1. de off. bajuli num. 2.

penes acta, fieri: atque ubi commissae fuerint, ex iis agi, seu, ut ajunt, *incusari*: atque exsecutio in rem, & in personam decerni. Poenam vero ultra augustalem minime poterunt exigere, quoniam bajulis vetitum est eam poenam excedere (12).

A sententiis porro bajulorum ad gubernatorem appellatur, adhuc si baro nullum habeat jus provocationis, seu *secundarum caussarum* (13).

Sunt tamen quarumdam urbium, & locorum bajuli, qui majori jurisdictione utuntur, & fere ea, quae nostris constitutionibus definita est. Hujusmodi sunt bajuli Salerni, Aletii, Consentiae, Catansarii, Cajetae, Aversae, Laurini, & in primis hujus principi urbis; ubi sunt bajuli, qui judices dicuntur, adsessor, actorum magistri, & scribae: immo, & proprios carceres Neapolitani bajuli habent (14).

Olim ad bajulos quoque pertinuit pretium rebus venalibus statuere: pondera, & mensuras examinare: atque poena unius unciae eos punire, qui statutum pretium in vendendo excederent, vel justo pondere, aut men-

(12) Pragm. 1. de off. bajuli, Tapia ad rub. de off. bajuli.

(13) Rovitus ad d. Pragm. 1. de off. bajuli num. 26.

(14) Pragm. 3. 4. & 5. de off. bajuli.

sura non uterentur (15). Sed procedente tempore id ad cujusque loci universitatem translatum est; quod jus *catapania* vulgo dicitur: poena quoque legitima in his casibus unius augustalis facta est (16). At in Urbe, & suburbiis jus cognoscendi de ponderibus, & mensuris ad tribunal *regiae siclae* pertinet.

Hujusmodi vero bajulorum electio olim ad camararios pertinuit, nisi sicubi baroni concessa esset jurisdictio, seu, ut loquebantur, *bancus, & judex*: sed ubi camararii defecere, coepit bajulorum electio locorum universitatibus concedi, seu locationis, seu venditionis titulo, nisi sicubi id baroni feudi jure fuerit concessum; de qua re ex concessione, privilegio, vel longa consuetudine erit dijudicandum.

IN-

(15) Const. ad officium bajulorum.
(16) Tapia ad d. Const. ad officium bajulorum.

INSTITUTIONUM JURIS CIVILIS NEAPOLITANORUM.

LIBER II.

DE PRIVATIS PERSONIS

CAPUT I.

De ſtatu hominum.

A Magiſtratibus ad privatas perſonas pergimus. Diverſum perſonarum jus a vario hominum ſtatu pendet. Civilis hominum ſtatus, qui ſcilicet apud Romanos ſpectabatur, libertatem, civitatem, & familiam reſpiciebat; hinc triplex perſonarum diviſio, una in liberos, & ſervos: altera in cives, & peregrinos: & tertia in patres familias, & filios familias.

Summa igitur perſonarum diviſio, quae in libris Romani juris proponitur, eſt, quod alii ſervi ſunt, alii liberi: liberorum alii ingenui, alii libertini. Id perſonarum diſcrimen apud nos minime fuit ignoratum: etenim Langobardi ſuos habuere ſervos, iique vel ex ancillis naſcebantur: vel fiebant, non modo per captivitatem, ſed etiam ſi ſponte ſe

alteri in servitutem dedissent (1), vel si cui ob crimen, aut debitum servi essent addicti (2).

Liberorum vero quidam ingenui erant, quidam libertini. Ingenui, qui liberi nati essent: libertini, qui ex justa servitute manumissi. Manumissionis quadruplex genus: etenim interdum libertus fiebat *amond*, & plenissimam libertatem adsequebatur, & plane extraneus a familia patroni habebatur: interdum *fulfreal*, & pariter plenam libertatem adsequebatur, sed tanquam de familia patroni habebatur: saepe per *impans*, seu per *votum regis* manumittebatur, qui similiter plene liber, & extraneus a familia patroni fiebat: interdum denique fiebat *aldius*, sive *aldio*, qui quamvis servitute liberaretur, tamen ipse, ejusque liberi ad certa servitia, praestationesque patrono tenebantur, ut non longe a servo videretur distare (3).

Praeter liberos, & servos habuere Langobardi *adscriptitios*, quos *censiles*, & *colonos* dixere. Fuere quidem apud Romanos adscriptitii, quos agricolas, colonos, inquilinos, & censitos dicebant. Sed hoc videtur intercessisse discriminis inter Romanos, & Lango-

go-

(1) L. L. lib. 3. tit. 9. L. 5.

(2) L. L. Lib. 2. tit. 33. L. 3. & 4.

(3) L. L. Lib. 2. tit. 34. L. 1. Legatur Muratorius Antiq. Italic. dissert. 15.

gobardos adscriptitios, quod Romani servi fuerint (4): quum contra Langobardi adscriptitii liberi fuisse videantur, qui tamen plena libertate non uterentur, quorumque conditio proxime ad servitutem accederet (5). Etenim Romani adscriptitii servi fuere, quos domini colendis agris destinaverant, quos initio pro arbitrio ad alia ministeria poterant deputare: sed procedente tempore inductum, ut hujusmodi adscriptitii a colendis agris, quibus fuerant destinati, distrahi ne possent; quare ne legari quidem sine agris poterant. Hinc Marcianus inquit: *Si quis inquilinos sine praediis, quibus adhaerent, legaverit, inutile est legatum* (6). Idque sub Constantino, sequutisque imperatoribus magis fuit stabilitum: nam, ubi semel servi tanquam alicujus agri coloni fuerant censiti, non licebat amplius eos ab agris abstrahere (7). Langobardi vero adscriptitii non raro aldiones fuere agris colendis addicti: licuit enim dominis servis manumittendis certa servitia, & operas imponere (8): saepe quoque ingenui fue-

(4) L. quemadmodum 7. & L. servos 12. C. de agric. & censitis.
(5) L. L. lib. 2. tit. 18. L. 3.
(6) L. si quis 112. D. de leg. 1.
(7) L. omnes 6. L. quemadmodum 7. & L. definimus 13. C. de agric. & censit.
(8) L. L. lib. 2. tit. 18. L. 3. & tit. 34. L. 9.

fuere, qui sponte se agrorum culturae addicebant : nam qui potentiorum patrocinio se commendabant ; ii vel certam pecuniam, aliasque res, vel certa servitia, & operas quotannis promittebant (9). Atque hi adscriptitii, eorumque liberi rei rusticae operam dare debebant, agrosque colere, & censum vel certa pecunia, vel certa fructuum quantitate domino pendere.

Ea triplex personarum divisio non modo sub Langobardis, sed etiam sub Normannis & Suevis apud nos obtinuit : nam in nostris constitutionibus non modo servorum, sed etiam adscriptitiorum frequens mentio occurrit, qui etiam *coloni*, *villani*, & frequentissime *rustici* dicuntur (10).

Sed quum XIII. saeculo inter Christianos servorum usus fuerit abolitus (11); apud nos quoque servi defecere : sed quoniam adscriptitii inter servos minime connumerabantur, eorumque conditio veluti media inter libertatem, & servitutem erat ; hinc ea diutius apud nos retenta. Hinc quamvis sub Andegavis nulla servorum mentio occurrat ; tamen *rusticos*, & *villanos* nostrae consuetudines meminerunt (12).

His

(9) Cancius V. commendati.

(10) Const. quisquis de burgensibus. Const. intentionis nostrae, & passim.

(11) Gudelinus lib. 1. de jur. noviss. cap. 4.

(12) Consuet. ubi domus de jur. cong.

His ita expositis narremus breviter leges nostri regni de servis, & adscriptitiis. Et principio, quamvis jure Langobardo, ut dictum est, permissum fuerit libero homini se in servitutem alteri dare: necnon ob delictum, vel debitum servum addici; tamen id a Friderico II. fuit emendatum. Is enim juris Romani scita sequutus, quo maxime delectabatur, vetuit liberos homines aliis se servos dare, vel adscriptitios fieri, aut personam propriam certis servitiis obligare, ea reddita ratione: *Nos enim, qui sumus domini personarum, sine nostrae serenitatis adsensu, personas servitiis perpetuis, aut conditionibus nolumus obligari* (13). Hinc fit ut *angariae*, & *parangariae*, quibus homines ad certa servitia vel statuto pretio, vel sine mercede tenentur, ad regalia jura sint referenda: sed de ea re fortasse alibi.

Deinde de servis fugitivis Guillelmus I. cavit, ne quis eos reciperet, sed quam citissime domino restitueret: vel, si dominus ignoraretur, locorum bajulis traderet, ut ad Magnam Curiam transmitterentur (14.). Id Fridericus II. confirmavit, illud addens, ut ubi servi fugitivi ad Magnam Curiam essent transmissi, si domini infra annum servos repe-

(13) Constit. quia frequenter.
(14) Const. servos, & ancillas.

peterent, eis restituerentur: sin minus fisci commodis applicarentur (15).

De adscriptitiis vero cavit Rogerius rex, ne in clerum adsciscerentur, nisi de eorum consensu, quorum juri subditi essent; nisi ecclesiae necessitas aliud exegisset, quo casu eorum filii adscriptitiorum conditionem retinerent (16). Id Fridericus II. ita declaravit, ut non omnes *villani* sine dominorum licentia a clero censerentur prohibiti, sed ii duntaxat, qui essent adscriptitiae conditionis, seu quorum personae ad rusticas operas essent obligatae; non eos, qui ad operas, & servitia ratione rerum tenerentur; quibus scilicet fundi ea lege dati essent, ut in iis operarentur, & certas pensiones dominis persolverent: nam iis licuit fundis se abdicare, dominisque restituere, & clericos adhuc sine eorum voluntate fieri (17).

Deinde idem Fridericus jussit, ut adscriptitii, uti & quicunque ad operas, & personalia servitia obstricti essent, qui e locis regiis, seu *demanialibus* ad loca baronum veteri incolatu relicto transissent, ad loca demanii revocarentur: & contra si adscriptitii loco-

(15) Const. mancipia fugitiva.

(16) Const. adscriptitios. Hæc constitutio Rogerii esse videtur, & perperam Friderico tributa.

(17) Const. errores. Hanc Rogerio perperam tributam Friderici II. esse conjicio.

locorum ecclesiarum, comitum, & baronum ad loca *demanialia*, vel aliorum baronum se contulissent, ad propria loca, quibus fuerant addicti redirent (18). Hanc Friderici constitutionem non de omnibus hominibus regii *demanii*, neque de omnibus hominibus baronum, seu vassallis eorumdem accipio: sed de iis solis, quorum personae ad certa servitia sunt obligatae. Id juri Romano convenit (19) cujus sanctiones semper amplecti studuit Fridericus. Idque innuere videtur idem Fridericus inquiens: *Sancimus, ut ecclesiarum homines, comitum baronum, vel militum, qui tamen dominis suis de personalibus servitiis teneantur*; quae verba corrupte in omnibus editionibus *leguntur*, nempe *minime teneantur*; ubi τὸ *minime* omnem sensum corrumpit.

Et quamvis initio constitutionis legatur *quisquis de burgensibus, aut villanis*, tamen ea verba accipienda reor, ut quicunque seu *burgensis*, seu *villanus* ad certa servitia ratione propriae conditionis teneretur, ne posset e proprio incolatu discedere: nam eorum, qui ad servitia tenebantur, quidam erant villani, qui ad colendos agros essent obligati, quidam vero burgenses, qui ad alias operas erant obstricti.

Hinc

(18) Const. quisquis de burgensibus.
(19) L. omnes 6. L. colonos 15. & L. mulier 16. C. de agric. & cens.

Hinc recte nostri scriptores docere videntur vassallos *angarios*, & *parangarios*, qui scilicet ad operas, & personalia servitia seu certa, seu nulla mercede obstricti sunt, alio domicilium transferentes posse a barone ad loca feudi revocari (20). Humanior tamen, nec improbabilis est eorum opinio, qui tradunt solos *parangarios*, non vero *angarios* vassallos posse a barone repeti (21). Sed hodierni mores hujusmodi baronum postulationes vix admittunt.

De servis vero nostrorum temporum, qui scilicet ex hostibus Christiani nominis capiuntur, pleraque nostris pragmaticis statuta sunt. Et quidem principio nemini hujusmodi servos comparare licet, nisi in Urbe, & Campana provincia de regis licentia, in provinciis vero regii gubernatoris, vel regiae audientiae; idque ad fraudes evitandas (22). Deinde vetitum est sine regia licentia servos extra regnum exportari poena statuta publicationis eorumdem (23). Denique poena mor-

(20) Andreas ab Aesernia, & Afflictus ad Const. quisquis de burgensibus. Idem Afflictus decis. 265. num. 75. & Ursillus ibid. num. 77. Rodoërius ad de Marinis lib. 1. res. cap. 107.

(21) Rapolla jur. regn. Neap. par. 2. lib. 1. cap. 7. num. 9. qui laudat Capycium decis. 169. n. 4.

(22) Pragm. 4. de serv.

(23) Pragm. 3. de extract. animal.

mortis ſtatuitur in nautas , qui ſervos fugitivos adſportaverint , quique eis fugientibus opem tulerint: atque, ut omnis fugiendi occaſio ſervis auferatur , jubentur nautae naves noctu cuſtodire, aut vela , remoſque detrahere, ne ad navigandum ſint idoneae: & contra facientes navium publicatione puniuntur (24).

Praeterea cautum noſtris legibus eſt , ut libertini in decem diebus proximis, ex quo libertatem fuerint adepti, manumiſſionem in Regia Cancellaria legitime oſtendant, & nomen , cognomen , & patriam profiteantur ; alioqui ad triremes damnentur (25). Ad haec manumiſſi, quemadmodum etiam redemti regno exire , & in patriam redire , niſi de principis venia , non poſſunt : & ſi contra fecerint quaeſita libertate multantur (26).

Altera perſonarum diviſio , de qua frequens mentio in libris Romani juris occurrit , eſt quod liberorum hominum quidam cives ſunt, quidam peregrini . Cives olim fuere , qui in Urbe, vel municipiis naſcebantur , vel quibus civitatis jura fuerant tributa (27). Sed poſt Antonini Caracallae conſtitutionem, quicunque in orbe Romano erant, ci-

(24) Pragm. 2. de nautis.
(25) Pragm. 2. de ſervis.
(26) Pragm. 1. de ſervis.
(27) Cicero pro Archia poeta.

cives Romani facti sunt (28). Peregrini vero fuere, quicunque extra Romanum imperium fuerunt: & qui orbe Romano in poenam fuerant ejecti, seu jure civitatis multati, quales erant interdicti aqua, & igni, & deportati. Apud nos quoque ejusmodi personarum discrimen olim obtinuit: nam omnes, qui in regno erant, cives habebantur: qui ex regno non erant, peregrini dicebantur; iisque videtur testari non fuisse permissum, immo nec legitimos heredes habere, eorumque bona a fisco fuisse occupata non secus, ac apud Gallos obtinet, ubi, qui e Gallia non sunt, *aubains* dicuntur, nec testari possunt, nec legitimos heredes habere, sed eorum bona a fisco vindicantur (29). Sed procedente tempore omne inter cives, & exteros discrimen fuit abolitum: nam Fridericus II. peregrinis omnibus, & testari, & legitimos heredes habere permisit (30); quae constitutio quamvis territorio imperatorio lata fuerit; tamen apud nos quoque fuit servata.

Hinc alios peregrinos non habemus, nisi eos, qui ob crimen civitate ejecti sunt, quales sunt proscripti, quos vulgo *forjudicatos* dicunt, quasi foris, seu extra civitatem senten-

(28) L. in orbe 17. D. de stat. hom.
(29) Rebuffus in prooem. constit. glos.5. num.81.
(30) Authent. omnes peregrini C. communia de success.

tentia judicis positos; quos idem Fridericus II. pro civibus haberi vetuit, & pro mortuis habendos jussit (31). Plerique addunt etiam in perpetuum deportatos, & ad triremes damnatos, quos putant pro peregrinis habendos. Sed id verum non puto, nisi ei, qui in perpetuum deportatus est, vel ad triremes damnatus, pariter bona omnia fuerint publicata. Etenim absurdum est eum, qui in civitate bona possidet, & de iis, quum usus venit, experitur, civem esse negare, aut pro cive non habere.

C A P U T II.

De patria potestate.

Tertia denique personarum divisio est, quod civium alii patresfamilias sunt, alii filiifamilias: nam qui patriae subsunt potastati, ii filiifamilias dicuntur: qui vero sui juris sunt, patresfamilias nuncupantur; idcirco de hac tertia hominum divisione acturi aliqua hoc capite de filiisfamilias, & de patria potestate dicemus. Qualis jure Romano sit patria potestas, in institutionibus juris Justinianei satis expositum est. Et quoniam, ubi nil peculiare nostris legibus cautum est, jure Justinianeo vivimus, ut saepe di-

(31) Const. si quando de poen. forjud.

dictum est; hinc quaecunque de patria potestate jure Romano cauta sunt, ea omnia apud nos obtinent. Quare pater filios immorigeros coërcere potest, eorum bona administrare, eisque uti frui, & per eos adquirere, atque, ubi judicio acturi sunt, consensum debet accommodare. Duplici duntaxat re jus nostrum a Romano discrepat, scilicet de nuptiis, & de obligationibus filiorumfamilias.

Et quod ad nuptias attinet, jure Romano minime licuit filiisfamilias sine parentum, in quorum potestate essent, consensu sponsalia, aut nuptias contrahere: quas si contraxissent, justae non habebantur, nec filii legitimi (1). Id vetus quoque ecclesiae disciplina probavit; etenim nuptias filiorumfamilias sine parentum consensu contractas irritas pronunciavit, ut intelligere licet ex epistolis Evaristi papae ad episcopos Africanos, & Pelagii ad Potentium (2). Sed procedente tempore id negligi coeptum, nuptiasque sine parentum consensu initas, inhonestas quidem ecclesia habuit, non vero irritas, neque filios ex iis natos illegitimos.

Hujus mutatae disciplinae ea mihi fuisse vide-

(1) Princ. Instit. de nupt. L. 2. D. de rit. nupt. L. 7. & L. 11. D. de sponsalibus.

(2) Epistola I. ad episcopos Africae Can. I. causs. 30. quaest. 5. epist. ad Potent. Can. un. causs. 32. quaest. 3.

detur caussa, quod juris Romani hac in parte ubique defecerit auctoritas. Etenim ecclesia, ubi de nuptiarum firmitate quaerebatur, civilium legum scita sequuta est: quamvis enim nuptiae sacramentum sint; tamen sacramenti materia justus nuptiarum contractus est. Quare Leo Magnus secundum legem, & evangelium nuptias celebrandas praecipit (3). Idcirco quando jure Romano vivebatur: & eo jure nuptiae sine parentum consensu copulatae irritae fuerunt, ecclesia quoque eas irritas habuit. At ubi Germanicae originis gentes, quae non multum patriae potestati tribuebant, in universo paene occidente dominari coeperunt; nuptiae a filiisfamilias sine parentum consensu initae, quamvis inhonestae, ratae tamen habitae sunt. Id apud nos legibus Langobardis expresse cautum legimus; Rotharii enim regis constitutio, qui mulierem sine patris voluntate duxisset, poena pecuniaria multandum jussit, nempe quadraginta solidis, viginti scilicet *pro anagrip*, & viginti *propter faidam*, hoc est viginti in poenam delicti, & viginti ad placandam iram, atque inimicitias: connubium vero irritum minime pronunciavit, modo vir, & uxor liberi essent (4). Ea re etiam ecclesia

K 2 ejus-

(3) Can. qualis 4. causs. 30. quaest. 5.
(4) L. L. lib. 2. tit. 2. L. 2. & 3.

ejusmodi nuptias, etsi minus honestas, firmas tamen habuit (5).

Hinc factum, ut Tridentina Synodus docuerit nuptias a filiisfamilias sine patris consensu contractas, quamvis illicitas, irritas tamen non esse (6). Quod Concilii decretum solas nuptias respicit: ad sponsalia minime pertinet; quae quando illicita sunt, irrita quoque esse oportet. Sunt enim sponsalia futurarum nuptiarum promissio, quas si inire non liceat, earum promissio nullius momenti erit, quum rei inhonestae promissio valere non possit.

Sed nescio, quo fato apud nos in sponsalibus contrahendis parentum consensus negligebatur. Immo parochi solebant nuptias filiorumfamilias nullo a parentibus praestito consensu copulare, & eorumdem sponsalia sua praesentia de more probare; quod utrumque & menti Concilii, & non parum publico bono adversabatur. Ea re Ferdinandus IV. providentissimus noster rex principio vetuit parochis, ne sponsalia filiorumfamilias sine parentum voluntate de more comprobarent, seu coram se contrahi sinerent, neve nuptias copularent: parentum vero nomine eos intelligi voluit, quorum in potestate essent ii,

(5) Can. sufficiat 2. causs. 27. quaest. 2. & cap. quum caussam 6. de rapt.

(6) Trid. sess. 24. cap. 1. de refor. mat.

ii, qui sponsalia, vel nuptias essent contracturi (7).

Deinde rem plenius, & distinctius exsecutus est. Etenim vetuit pragmatica sanctione promulgata filios seu in potestate, seu emancipatos nuptias sine patris consensu inire: si contra fecerint patri permisit filios exheredes scribere, filiabus dotem denegare: nec magistratibus licere patrem ad dotem filiae dandam adstringere, quam is dissensum significavit protestatione ad filiam missa seu ante, seu statim post contractum matrimonium, si forte eo insciente initum fuerit. Hanc vero poenam cessare voluit, ubi masculi trigesimum, feminae quintum, & vigesimum annum expleverint, si sine paterno consensu nuptias adhuc impares, modo non turpes, atque inhonestas contraxerint (8).

Idem hoc rex optimus servari jussit adhuc, si filius miles sit, aut stupri insimulatus magistratus sententia matrimonium contrahat. Ad haec si filius ultro paternae successioni renunciaverit, non ideo magis posse sine ejus consensu matrimonium contrahere. Quod si nulla de justa caussa honestam matrimonii conditionem filiis oblatam pater repudiaverit, permisit Sacro Consilio caussa co-

(7) Collect. reg. litt. tit. 14. num. 2. 3. & 4.
(8) Pragm. 1. de matrim. a filiisfam. contrah.

cognita paternum consensum supplere, modo de singulis caussis ad regem referat (9). Quod ipsum jure Romano cautum fuerat capite scilicet trigesimo quinto legis Juliae, & Severi, & Antonini constitutione, ut scribit Marcianus (10).

Quod ad contractus vero, & obligationes filiorum familias attinet, quum hi non secus, ac patres familias cives sint, contractus omnes jure Romano possunt inire, atque ex iis obligari. Hinc Cajus: *Filiusfamilias ex omnibus caussis, tanquam paterfamilias obligatur, & ob id agi cum eo, tanquam cum patrefamilias potest* (11). Una, atque altera duntaxat caussa excepta est, nempe votum, & pecunia mutua (12). At jure nostro non licet filiisfamilias contractus inire, aut ex qualibet caussa obligari, *nisi in praesentia & expresso consensu ipsorum patrum, vel fuerint emancipati, seu habitent, & vivant seorsum ab eorum patribus cum eorum uxoribus, & familia*; uti a Magna Curia Vicariae, & a Collaterali Consilio anno 1525. edictum fuit, poena proposita adversus notarios, actuariosque, qui contractus filiorumfamilias sine patrum consensu scriberent, privationis offi-

(9) Collect. reg. lit. tit. 14. num. 5. 6. & 8.
(10) L. capite 19. D. de rit. nupt.
(11) L. filiusfamilias 39. D. de oblig. & action.
(12) L. 2. §. 1. D. de pollicit. & L. 1. & pass. D. de S. C. Maced.

officii, atque unciarum centum. Eam vero poenam notarii, actuariique subeunt, qui scientes id fecerint: quod si contrahentes interrogaverint, sintne filiifamilias, iique se patresfamilias fuerint mentiti, obligatio quidem rata non erit, notarii vero poenae erunt expertes (13). Immo eo in casu ne filiusfamilias quidem, qui dolo se patremfamilias simulavit, de falso accusari potest, ne obliqua pater ad implendum contractum obligetur (14).

Id sane nostris legibus cautum reperitur: sed antea mihi persuaserim idem moribus ex jure Langobardo profectis apud nos obtinuisse. Etenim jure Langobardo filiifamilias in patris *mundio* fuerunt, dum adhuc adolescentes ejusdem domi vivebant; tunc enim pater eos tuebatur, eorumque bona administrabat, iisque utebatur fruebatur: at ubi perfectae aetatis facti fuerant, & paterna domo exiverant, quasi patresfamilias habebantur, contrahere poterant, vel cum ipso patre, sibique adquirebant, & judicio, quum usus venerat, experiebantur, ut tradunt Carolus a Tocco, & Andreas a Barulo (15). Quo

 fa-

(13) Pragm. 1. de senatusc. Maced.

(14) Pragm. 63. §.ult. de off. procuratoris Caesaris.

(15) Carolus a Tocco ad L. 7. lib. 2. L. L. tit. 35. & Andreas a Barulo comment. in L. L. tit. 8. de patria potestate.

factum, ut quando juris Romani coepit apud nos augescere auctoritas, mores utrumque jus conjunxerint, ut filius, quum in domo paterna degit, nil sine patris consensu recte gerat, nec contrahat, nec obligetur: at vero, quum ea exierit, & seorsum ab eo vivere coeperit, & contrahere, & obligari possit: caetera patris potestati subsit.

Atque hac in parte jus nostrum non parum a Romano distat: etenim, ut taceam jure nostro omnes filiorumfamilias contractus, atque obligationes infirmari, quum jure Romano in sola pecunia mutua eis senatusconsulti Macedoniani opituletur exceptio; constat jus Romanum ei, qui se patremfamilias mentitus est, omne senatusconsulti denegare auxilium, ut imperator Pertinax rescripsit (16). Immo ex generali Juliani definitione non aliter creditori obest senatusconsulti exceptio, quam si scivit, vel saltem scire potuit, cui pecuniam credebat, filiumfamilias esse (17). Contra jure nostro, quicunque contractus cum filiisfamilias ineuntur, rati non sunt, seu sciverit, seu ignoraverit creditor debitoris sui conditionem: immo adhuc, si filiusfamilias dolo creditorem deceperit se patremfamilias mentitus; quo

(16) L. 1. C. ad S. C. Maced.
(17) L. Julianus 19. D. de S. C. Maced.

quo casu, ut dictum est, ne falsi quidem potest accusari.

Sunt tamen plerique casus, in quibus superiori regulae locus non est. Et quidem principio in ipsa *Pragmatica* 1. *de S.C. Maced.* una, atque altera exceptio proponitur, nempe, *nisi fuerint emancipati*, *seu habitent*, *& vivant seorsum ab eorum patribus cum eorum uxoribus*, *& familia*. Ubi illud crassius dictum videtur, quum a regula, ne filiifamilias possint obligari, emancipati excipiuntur: constat enim emancipatos patria potestate exire, nec amplius filiosfamilias, sed patresfamilias esse. Sed pragmaticae mentem eam esse, patet prohibitionem contrahendi, ac se obligandi ad eos non pertinere, qui vel patria potestate plene per emancipationem exierunt, vel quasi exierunt per separatam oeconomiam, de qua inferius dicam.

Deinde quibus ex caussis filiusfamilias jure Romano ex pecunia credita recte convenitur, paene ex iisdem ex quocunque contractu jure nostro potest obligari. Hinc non modo si filius jussu patris contraxerint, vel institor tabernae, vel magister navi a patre praepositus fuerit, contractum, atque obligationem valere puto, quasi tacito patris jussu contractam, quemadmodum jure Romano constitutum est (18): sed etiam si pater post

(18) L. 1. & pass. D. de instit. act. & L. 1. D. de exerc. act.

post tempus contractum ratum habuerit, eum confirmari reor non secus, ac jure Romano cautum est (19). Hinc minime adsentior Caravitae, & Rovito, qui, seu jussus patris praecesserit, seu ratihabitio sequatur, negant contractum valere, quod pragmatica requirat praesentiam, atque expressum consensum patris (20). Sed ipse arbitror ideo pragmaticam praesentiam, atque expressum consensum patris meminisse, non ut ostenderet expressum patris consensum sine praesentia non sufficere: sed ut significaret solam patris praesentiam non prodesse, neque ex ea consensum argui, sed necesse esse, ut diserte pater censentiat. Ad haec non ideo pragmatica expressum consensum exigit, ut omnem tacitum excludat, potissimum, qui jure certo est probatus: sed ut removeat tacitum, qui ex levioribus argumentis praesumitur, qualis esset consensus ex sola praesentia desumtus. Denique ex verbis pragmaticae inferrri nequit contractum jussu patris initum, aut post tempus ratum habitum nullius momenti esse, quod in ejus praesentia non fuerit celebratum: quoniam ea pragmatica minime tractat de firmitate contractuum, qui a filiisfamilias ineuntur, quinam scilicet rati sint, quinam irriti: sed de ratio-

(19) L. ult. C. de S. C. Maced.

(20) Caravita ad Pragm. 1. de S. C. Maced. §. 10. num. 14. & Rovitus ad eamd. Pragm. num. 11.

tione, qua notarii eorumdem contractus debeant describere, ne scilicet id faciant *sine praesentia, & expresso patrum consensu*. Ex hujus vero pragmaticae mente nihil aliud colligi potest, nisi filiosfamilias sine patris consensu contrahere, atque obligari non posse (21).

Pari ratione, si pecunia filiofamilias credita, aliave res filiofamilias tradita in rem versa sit patris, contractus consistet non secus, ac jure Romano cautum est (22). Quo referri debet, si pecunia studiorum, vel legationis caussa, vel, ut dos sorori solvatur, credita sit (23).

Huc vero minime referri potest, quum filiusfamilias sine patris consensu paternis creditoribus se obligat; tunc enim contractus nullius momenti est: quoniam eo nihil in utilitatem patris vertitur, sed novatio fit a filiofamilias sine paterno consensu, ut in simili scribit Paulus in *L. servus* 20. *pr. D. de dol.* Atque ita a Sacro Consilio definitum refert Novarius (24). Quid si patris consensus accesserit? & quidem, nisi probabilis familiae utilitas id exigat, puto contractum minime valere: quoniam quum filius nequeat sine patris

(21) Paschalis de virib. pat. pot. cap. 6. num. 39. Surdus decis. 245.

(22) L. 1. & passim D. de in rem verso.

(23) L. 7. §. 2. & 11. D. de S. C. Maced. De Marinis lib. 1. resol. cap. 145. num. 24.

(24) Novarius ad d. Pragm. 1. de S.C. Maced.

tris consensu obligari, frustra eidem patri obligabitur, omnisque contractus in ejus solius utilitatem initus nullius momenti erit, nec poterit ipsius patris consensu confirmari: quum nemo possit in rem suam auctor fieri, aut consensum accommodare (25).

Praeterea si filiusfamilias castrense, vel quasi castrense peculium habeat, potest sine patris consensu contrahere, atque obligari, quum in eo pro patrefamilias habeatur (26). Illud tamen non sine prudenti consilio cautum a Ferdinando IV. nostro rege, ne mercatores aurea, argentea, lapillos, gemmas, serica, lanea, linea, similiaque credita pecunia vendant iis, quicunque alieno juri subsunt; cujusmodi esse declaravit filiosfamilias, etiamsi castrense, vel quasi castrense peculium habeant, mulieres nuptas, & ii qui tutoribus, curatoribus, aut moderatoribus subsunt, quos *supraintendentes* nuncupant. Idque ad fraudes, usurasque igentes, superiorumque personarum evitandam perniciem statutum est. Quod si ejusmodi personae numerata pecunia emant, contractus consistet, ut idem noster rex declaravit (27). Atque hanc

(25) L. 1. & 7. D. de auct. tut. Rovitus ad d. Pragm. 1. de S. C. Maced. num. 47.
(26) L. 1. in fin. & L. 2. D. de S. C. Maced. Rovitus ad d. Pragm. 1. num. 53.
(27) Pragm. 3. d. tit.

hanc prohibitionem idem noster providentissimus rex obtinere voluit adhuc, si superiores personae litteris collybisticis, seu cambii se obligaverint (28).

Verum ex hac nostri regis constitutione generalis regula fingi nequit contractus a filiisfamilias, quibus castrense, vel quasi castrense peculium est, nisi de patris consensu initos, ratos non esse. Etenim ea constitutio, ut dictum est, solam emtionem vetat ejusmodi rerum habita fide de pretio, quoniam ea saepissime ad celandas usuras, & in necem emtorum contrahitur: caeteri contractus minime prohibentur: immo emtio numerata pecunia nominatim permittitur.

Denique filiusfamilias, qui mercaturam exercet, sine patris consensu obligatur, quum, ne qui ob publicam fidem decipiantur, tum etiam quia is videtur quasi patria potestate solutus, qui suas res sibi administrat, easque sibi negotiatur (29). Idque novissime a Ferdinando IV. nostro felicissimo rege constitutum est (30). Illud quoque constat, ubi pater, vel ipse filiusfamilias, quod ex contractu debebat, solverit, soluti condictionem non esse: quum jure Romano senatuscon-sul-

(28) Pragm. 4. d. tit.

(29) Rovitus ad d. Pragm. 1. de S. C. Maced. num. 7.

(30) Pragm. 3. de S. C. Maced.

sultum convento exceptionem tribuat, minime vero soluti condictionem (31). Quod si filiusfamilias conventus omissa exceptione fuerit condemnatus; poterit ea post sententiam uti, ut exsecutionem impediat. Idque jure Romano cautum est, & apud nos servari docet Novarius, qui in Sacro Consilio id definitum refert (32):

Atque hac in parte jus nostrum cum Romano consentire videtur: nam uti ex superioribus caussis jus Romanum denegat senatusconsulti auxilium, ita jus nostrum filiifamilias probat obligationem. At sunt quidam casus, in quibus jure Romano filiusfamilias senatusconsulto defenditur, quum jure nostro obligatio non consistat. Etenim non modo si filiusfamilias se patremfamilias fuerit mentitus, jure Romano nequit senatusconsulto se tueri, quum jure nostro non obligetur: sed etiam si filiusfamilias communiter pro patrefamilias habeatur, jure Romano non habet senatusconsulti exceptionem (33): at jure nostro obligari non potest, quum eo jure omnes filiorumfamilias obli-

(31) L. 10. D. de S. C. Maced. & L. 40. D. de condict. indeb.

(32) L. 11. D. ad S. C. Maced. Novarius ad d. Pragm. 1.

(33) L. 3. D. de S. C. Maced.

obligationes infirmentur (34). Praeterea filiusfamilias adversus minorem senatusconsulti auxilio se tueri nequit, quum favorabiliores sint filiifamilias, quam minores (35): Sed apud nos, si vel maxime filiusfamilias cum minore contraxerit, contractus ratus non est, quod illum leges nostrae infirmant. Eo vel magis, quod jus Romanum nequaquam filiofamilias, qui mutuum a minore accepit, senatusconsulti denegat auxilium: sed Ulpianus ex Juliani, & Marcelli sententia, *ut magis aetatis ratio, quam senatusconsulti habeatur*, cautionem dat minori, ut in integrum restitutionem petat, quod non expediebat filiofamilias credere, ut contractu rescisso pecuniam recipiat (36); quod jure nostro locum habere nullo modo potest.

Hoc loco quamplures alias quaestiones nostri scriptores tractant, quas lubens omitto, quoniam eae leviores sunt, & solutu faciles. Nam, quum jus nostrum contractus, atque obligationes filiorumfamilias generatim omnes infirmet, nihil refert, frugine sit filiusfamilias, an nebulo, privatus, an magistratus, laicus, an clericus: quum clerici non

(34) Rovitus ad d. Pragm. 1. de S. C. Maced. Dissentit immerito Caravita.

(35) L. verum 11. §. ult. D. de minor.

(36) Consulite meam tractationem de rest. in integ. lib. 1. cap. 9.

non minus quam laici principi, ejusque legibus subsint: uti nihil refert, si vel maxime huic auxilio filiusfamilias juratus renunciaverit: lepida enim esset ista renunciatio, qua quis se publica lege solveret: neque jusjurandum ad leges evertendas valere potest, potissimum quum illud nunquam novam obligationem inducat: sed obligationem ex contractu natam religione confirmet. Atque ita Sacrum Consilium definivisse refert de Franchis (37).

CAPUT III.

Quibus modis jus patriae potestatis solvitur.

SEquitur, ut videamus, quibus modis patria potestas solvitur. Et quidem jure Romano morte, capitis deminutione, adoptione, emancipatione, & dignitate solvi, immo interdum in poenam amitti constitutum est, de qua re in institutionibus juris Justinianei satis dictum est. Ea omnia quum jure nostro immutata non sint, apud nos quoque obtinere debent, modo meminerimus *forjudicatos* quasi aqua, & igni interdictos, & jure civili mortuos, jus potestatis amittere (1). De

(37) De Franchis decis. 71.

(1) De Franchis decis. 213. num. 11. & 12. Riccius in collect. decis. 291.

De dignitate quaeri merito poteſt, quaenam filium patria poteſtate liberet, quum noſtrorum temporum dignitates plurimum a veteribus ſint diverſae. Et exiſtimaverim, quicunque regi vel a conſiliis ſunt, vel a ſecretis: item ſupremorum tribunalium magiſtratus: & fiſci patronos etiam Magnae Curiae Vicariae patria poteſtate eſſe ſolutos: caeteros in ſacris paternis manere. Quare, quod vulgo noſtri ſcriptores docent, principes, duces, marchiones, & comites patria poteſtate eſſe ſolutos, quod non ſpernenda dignitate a rege ſint cohoneſtati; (2) id verum non puto: quoniam haud tituli honorum a rege indulti, ſed reipublicae adminiſtratio cum ſumma dignitate conjuncta filium patria poteſtate liberat, ut intelligimus ex iis dignitatibus, quae olim filios patria poteſtate eximebant (3). Idque Sacro Conſilio perſuaſum fuit, quum teſtamentum comitis Policaſtri irritum pronunciavit, quod a filiofamilias conditum eſſet (4).

De adoptione, atque emancipatione illud tenendum, quamvis jure Romano in adoptionibus, atque emancipationibus competentis judicis auctoritas ſit neceſſaria; tamen

(2) Maſtrillus, Riccius, Novarius, aliique apud de Marinis lib. 2. reſol. cap. 233.

(3) L. ult. C. de decur. L. ult. C. de Conſul. & Novell. 81. cap. 1. 2. & 3.

(4) De Franchis deciſ. 4.

apud nos & adoptiones, & emancipationes liberorum publicis instrumentis fieri, quae a regiis notariis conficiuntur (5). Immo eodem instrumento, quo alii contractus continentur, emancipatio quoque liberorum fieri potest, ut saepissime factitari solet (6). Hujus rei eam reddunt nostri forenses rationem, quod regius notarius competentis judicis vicem fungatur, & voluntaria jurisdictione utatur (7). Sed minus recte: potius dicendum est, ideo adoptiones, atque emancipationes publicis instrumentis fieri, quoniam coram judice, qui *ad contractus* dicitur, fiunt, qui in instrumentis intervenire debet; quique in iis, quae voluntariae jurisdictionis sunt, judicis competentis vicem fungitur. Nam olim contractus omnes coram ordinariis judicibus, qui jurisdictioni praeerant, celebrabantur, atque a scribis, seu notariis, qui judiciaria acta litteris mandabant, scribebantur, ideoque publica instrumenta habebantur. Tum aucta negotiorum multitudine secreti sunt judices, qui controversiis definiendis, ab iis, qui contractibus comprobandis operam darent; uti & distincti sunt scribae, qui judiciariis actis, a notariis, qui

(5) Maranta in prax. part. 4. distin. 18.
(6) Rovitus ad pragm. 2. de jurisd. invic. non turb. num. 56.
(7) Maranta l. c.

qui contractibus describendis vacarent (8). Quare nimium suaves mihi videntur, qui docent, ubi emancipatio publico instrumento facta est, non modo ratam non esse, sed notarium, & judicem *ad contractus* quasi usurpatae jurisdictionis reos esse puniendos.

Sed praeter hos solvendae patriae potestatis modos jure Romano statutos duo alii jure nostro introducti sunt: alter, quo filii quasi patria potestate liberantur, nempe separata oeconomia; alter, quo filiae plane patria potestate solvuntur, nempe nuptiae.

Separata oeconomia ex jure Langobardo profecta moribus apud nos recepta est, nostrisque legibus comprobata, quibus permittitur filiis, *qui habitent, & vivant seorsum ab eorum patribus cum eorum uxoribus, & familia*, sine consensu patris contrahere, & se obligare (9). Separatam vero oeconomiam intelligere debemus non solam separatam habitationem, sed distincti patrimonii separatam administrationem. Idque innuere videtur pragmatica, quum utitur verbis *habitent, & vivant*, ut significet non solam separatam habitationem, sed separatam quoque vitam esse necessariam, hoc est sejuncti patrimonii distinctam administrationem. Atque eadem de caussa uxorum, & fa-

(8) Const. in locis demanii, & Const. occupatis.
(9) Pragm. 1. de S. C. Maced.

familiae mentionem injectam arbitror, non, quod maritos, & filiorum parentes esse oporteat filios, qui seorsum a patre vivunt, ut quasi patria potestate liberati habeantur; & contrahere, atque obligari possint: sed, quod, qui uxorem, & familiam habet, si seorsum a patre habitet, separatam quoque instituat oeconomiam necesse est.

Caeterum, si filius separatum patrimonium sibi administret, non modo, si uxorem non habeat, sed etiam, si in ipsa paterna domo habitet, sine patris consensu contrahere, & se obligare potest quasi patria potestate solutus (6).

Quantum vero temporis exigatur, ut filius, qui seorsum a patre vivere instituit, quasi patria potestate solutus sine ejus consensu contrahere, & obligari possit, quaerunt nostri forenses. Et quidam, qui hunc solvendae potestatis modum ex jure Romano, nempe ex Antonini, & Veri constitutione derivant (7); longum tempus decem scilicet, aut viginti annorum exigunt (8). Alii id judicis arbitrio permittunt, quum putent hunc solvendae patriae potestatis modum ob tacitum patris consensum a Leone Imperatore fuis-

(6) Novarius ad d. Pragm. 1. de S. C. Maced.
(7) L. 1. C. de pat. potest.
(8) Paschalis de vir. patr. potest. cap. 6. Afflictus decis. 137.

fuisse introductum (9). Sed rectius videtur dicendum statim, ac filius seorsum a patre vivere instituit, sibique res suas administrat, quasi patria potestate solutum, & contrahere, & obligari posse sine patris consensu. Separata enim oeconomia neque ex jure Romano, neque ex jure Graeco, quod nunquam apud nos obtinuit: sed ex jure Langobardo filium a patre liberat. Eaque sententia & juri Langobardo, & verbis pragmaticae, & naturali rationi consentanea est: ipsa enim separata oeconomia id exigit, ut filius res suas sibi administret; ideoque sine patris consensu contrahat, & obligetur (10).

Verum filius, qui seorsum a patre vivere instituit, quamvis contrahere, & obligari possit; tamen patria potestate plane non liberatur; ideoque decedens testamentum facere non potest. Quoniam quatenus separatae oeconomiae ratio exigit, a patre liber est, scilicet, ut contrahat, & obligetur, sine quo res suas sibi administrare non potest: caetera pro filiofamilias habendus est (11).

Alter solvendae patriae potestatis modus jure nostro introductus sunt filiaefamilias nuptiae. Filias patria potestate nuptiis minime liberari, easque adhuc nuptas in sacris paternis ma-

(9) Novell. 25. Leonis.
(10) Novarius ad d. Pragm. 1. de S.C. Maced.
(11) Novarius ad d. Pragm. 1. de S. C. Maced.

nere jure Romano constitutum est (12). At hujus urbis consuetudine mulier nupta patria potestate liberatur: ita enim statuit: *Sed & mulier non obstante, quod emancipata non fuerit, eo ipso, quod nubit, fit sui juris* (13). Hanc consuetudinem ex jure Normanno profectam puto: etenim Normanni, quemadmodum & reliquae Germanicae originis gentes, non multum patriae potestati tribuerunt; ideoque Andreas a Barulo filios jure Langobardorum, & Francorum non in patris, sed in patrisfamilias potestate fuisse tradit (14), hoc est filii dum in domo patris erant, ejus potestati suberant: ubi patria domo exibant, ejus potestate liberabantur. Quare jure Normanno filiae, quae nubebant, a patris in mariti potestatem transibant (15). Hinc factum, ut ubi apud nos juris Romani coepit convalescere auctoritas, quo jure marita potestas incognita est, filiae, quae nubebant, coepere patria potestate solutae sui juris fieri.

Quamvis autem hujus principis urbis consuetudine filia nupta patria potestate exeat; tamen jura suorum heredum minime amittit, ideo-

(12) L. 5. C. de condit. inser. & L. 12. C. de collat.

(13) Conf. sed & mulier de filiaf. nub.

(14) Andreas a Barulo comment. in L. L. tit. 8. de pat. pot.

(15) Lib. 2. L. Norman. tit. 36. §. 3. & 4. apud Ludevig.

ideoque paternam hereditatem ſine aditione adquirit, & non aditam ad quoſvis heredes tranſmittit (16). Ejus ratio eſt, quod jure civili ſola emancipatio jus ſui heredis perimat, non reliqui modi, quibus filii ſui juris fiunt (17).

Hinc recte docet Napodanus patrem ſolidum uſumfructum bonorum adventitiorum filiae, quae nubit retinere: quoniam Juſtiniani conſtitutio, quae jubet patrem, qui filium emancipat, medietatem uſusfructus adventitiorum ſibi habere, medietatem filio tribuere debere (18); in ſola emancipatione locum habet: non quum filii alia ratione patris poteſtate exeunt. Illud quoque addi poteſt, quod emancipatio plane a patris voluntate pendeat: nuptiae vero filiae non ita, quum pater ad conditionem filiae quaerendam, & dotem dandam obſtrictus ſit (19).

Quum autem conſuetudo ad liberandam patria poteſtate filiam ejus nuptias exigat: nuptias vero ſolus conſenſus, non concubitus, nec domum deductio faciat (20): & domum deductio vel ipſo veteri Romanorum jure

(16) Minadous ad Conſtit. in aliquibus.

(17) L. 3. §. 1. D. de cap. demin. & Novell. 81. cap. 2.

(18) L. 6. C. de bon. quae lib.

(19) Napodanus ad d. Conſuet. ſed & mulier num 11. & 12.

(20) Ulpianus L. nuptias 30. D. de reg. jur.

jure ad nuptiarum ſubſtantiam minime pertinuerit (21); hinc affirmandum mulierem nuptam, adhuc in domum viri minime deductam, patria poteſtate eſſe ſolutam; quamvis veteres noſtrarum conſuetudinum interpretes in alia omnia iverint (22).

Quumque is, qui ſemel patria poteſtate liberatus eſt, in eam honeſte reverti non poſſit, niſi adoptione ex generali regula ab Ulpiano tradita (23); hinc fit, ut mulier ſemel nupta viro mortuo ſui juris maneat, nec in poteſtatem patris recidat (24); quamvis Napodanus putet mulierem viro mortuo in patris poteſtatem reverti. Atque ita olim Sacrum Conſilium definivit, fortaſſe debile mulieris conſilium potius perpendens, quam juris Romani conſtitutionem (25).

Quoniam vero haec conſuetudo ſtatum perſonarum reſpicit, ideo ad ſolas cives pertinet, non ad exteras. De ea vero olim fuit dubitatum, quae, quum extera eſſet, civi Neapolitano nupta fuit.

Ea dubitandi ratio, quod nupta mulier ma-

(21) Duarenus de nup. cap. 2.
(22) Napodanus, Antonius ab Alexandro, & Joannes Angelus Piſanellus ad d. Conſuet. ſed & mulier.
(23) L. qui liberatus 12. D. de adopt.
(24) Afflictus ad d. Conſuet. ſed & mulier.
(25) Napodanus ad d. Conſuet. ſed & mulier num. 10. Grammaticus deciſ. 54.

mariti jure utatur, atque incola ejusdem municipii, cujus est vir, esse videatur, ut docet Papirius Justus his verbis : *Item rescripserunt* (Imperatores Antoninus , & Verus) *mulierem, quandiu nupta est, incolam ejusdem civitatis videri, cujus maritus ejus est, & ibi unde originem trahit, non cogi muneribus fungi* (26). Attamen Sacrum Consilium definivit mulierem in sacris paternis manere (27): & recte. Nam Neapolitana mulier, non extera nuptiis patria potestate liberatur : quae vero civi nupta est, jus civitatis viri non adipiscitur; quod in civitate Neapolitana multo magis obtinet, cujus adipiscendae certi definiti sunt nostris legibus modi. Nec Papirius Justus mulierem nuptam jus civitatis viri adipisci nos docet , sed incolam videri ejus municipii, cujus est vir, ut personalibus muneribus ibi, unde originem trahit, minime fungatur ; in quam sententiam luculentius est Philippi Imperatoris rescriptum (28).

CA-

(26) L. ult. §. 3. D. ad municip.
(27) De Franchis decis. 147.
(28) L. unic. C. mulier in quo loco muner. &c.

C A P U T IV.

De alendis liberis.

SEquitur, ut aliqua hic tradamus de liberis alendis, quum ob argumenti conjunctionem, quoniam filios alere paternum officium est: tum etiam, quia ea, quae de liberis alendis nostris consuetudinibus cauta sunt, ad patriam potestatem pertinent: iis enim patria potestas non parum in Urbe est imminuta.

Et quidem jure Romano constat patrem filios alere debere, quo nomine omnis liberorum exhibitio continetur, cibaria, vestes, habitatio, disciplina, caeteraque hujusmodi (1). Immo Ulpianus generalem tradit regulam scribens: *non tantum alimenta, verum etiam caetera quoque onera liberoum patrem ab judice cogi praebere rescriptis continetur* (2). Hac tamen in parte non parum valere debet judicis arbitrium, quem singulorum desideria perpendere oportet, ut ab eodem Ulpiano docemur. Quod si pater vel defunctus sit, vel alendis liberis par non fuerit, id oneris ad avum, caeterosque per patrem adscendentes pertinet: si hi quoque deficiant, ma-

(1) L. 5. princ. §. 1. & 10. D. de agnosc. & alend. lib. L. 4. D. ubi pupil. educ. deb. & L. 6. §. 5. D. de Carb. edict.

(2) Dict. L. 5. §. 2. D. de agn. & alen. lib.

mater, caeterique per matrem adſcendentes liberos alere debent (3).

Hujuſmodi vero alimenta pater filiis debet, qui non habent, unde ſe exhibeant: quod ſi ſeipſi queant exhibere, pater ad alimenta illis praeſtanda minime tenetur. Ad haec, quum pater filiis alimenta debet praeſtare, ea domi praeſtabit: nec filii, qui ſimul cum patre vivere detrectant, alimenta ab eo poſſunt poſtulare, niſi juſtas allegaverint cauſſas, cur velint ſeorſum ab eo degere (4).

Haec jure Romano de alendis liberis cauta ſunt, quae in regni provinciis ſervantur: quoniam, ut ſaepe dictum eſt, jure Romano vivimus, niſi aliqua in parte noſtris legibus illi ſit derogatum. Sed in hac principe urbe quaedam peculiaria de alendis liberis conſuetudinibus conſtituta ſunt. Etenim principio cavetur, ut, ſi filii ſeu mares, ſeu feminae nolint cum patre ſimul habitare, vel pater nolit eos ſecum habere; pater bonorum antiquorum fructus ita partiatur, ut ſingulis filiis portiones tribuat, ſibi duas retineat, ſeu vivat, ſeu defuncta ſit uxor. Dotalium quoque bonorum fructus ita dividendi ſunt; nullum tamen ea re mulieri praejudicium fit, ad quam

(3) Dict. L. 5. §. 2. & ſeq. D. de agn. & alend. lib.

(4) Argum. d. L. 5. §. 3. D. de agn. & alend. lib.

quam viro mortuo dos, dotisque fructus debent redire (5). Quod si ex filiis quidam nolint, alii velint cum patre vivere; is debebit fructus bonorum antiquorum, ut supra dictum est, partiri: portionemque illorum filiorum, qui seorsum ab eo degunt, illis tribuere: reliquas sibi retinere (6).

Verum si ejusmodi partitione facta quis ex filiis, qui seorsum a patre vivebant, decesserit, vel ex filiabus nupserit; ejus portio reliquis filiis simul cum patre pro portione adcrescet; nisi decedenti filio nepotes supersint, ad quos defuncti filii portio redibit (7).

Mater vero non debet alimenta filiis ex fructibus dotis, rerum donatarum seu a viro, seu a consanguineis nuptiarum tempore, quae *donativum* consuetudo appellat, & quartae, quam scilicet in bonis viri uxor seu jure Romano, seu Langobardo consequebatur: sed ex fructibus reliquorum bonorum antiquorum ab agnatis, & cognatis, seu hereditate, seu legato, seu quo alio lucrativo titulo quaesitorum, quae consuetudo *excadentias* appellat. Horum autem bonorum fructus mulier ita partiri debet, ut unam sibi, reliquas singulis filiis portiones adsignet (8). Ideo vero mulierem puto

(5) Consuet. si quis habet 1. de alim. præst.
(6) Consuet. quod si aliquis 2. d. tit.
(7) Consuet. verum 3. d. tit.
(8) Consuetud. mulier de dotibus 4. d. tit.

puto horum fructuum unam, non duas portiones sibi retinere, quod solidos rerum dotalium fructus sibi habeat, & quod splendidior viri, quam mulieris debeat esse exhibitio.

Denique illud nostris consuetudinibus cavetur liberis ingratis posse a parentibus alimenta denegari (9).

Has de alimentis consuetudines ex jure Normanno ortas esse existimo. Nam Germanicae originis populi, quales fuere Normanni, ubi filii seorsum a parentibus vivere instituebant, quos *separatos* appellabant, iis certam patrimonii partem adsignabant, quo possent secundum suam conditionem vivere (10). Normannos vero hanc adsignationem ex bonis antiquis potius faciendam statuisse, quam a parentibus quaesitis conjicio, quod ea bona familiae esse viderentur, atque in ea quid juris liberos, atque agnatos, & cognatos habere voluerint, ut libro quarto dicemus.

Ex his satis patet discrimen, quod inter jus Romanum, atque Urbis consuetudines intercedit, ubi de alendis liberis quaeritur. Nam jure Romano liberi plerumque domi aluntur: ex consuetudinibus vero alimenta filiis

(9) Consuetud. in omnibus ult. d. tit.

(10) Heineccius jur. Germ. lib. 1. tit. 8. §. 166.

filiis non debentur, nisi iis, qui seorsum a patre vivunt. Secundum consuetudines alimenta filiis ex bonis antiquis praestantur: jure vero Romano, quaecunque bona pater habeat, seu quid sua industria adquirat; ex iis alimenta filiis debet. Jure Romano secundum filiorum indigentiam alimenta praestari debent: ex consuetudine vero certa fructuum portio pro numero liberorum debetur.

Ut autem filii possint ex consuetudine alimenta postulare, duo necessaria sunt, primum, ut legitimae aetatis sint, qui & velle, & nolle possunt, quique norunt custode remoto vivere (11). Deinde, ut justa subsit caussa, cur vel filii nolint, vel pater detrectet eos secum habitare; ne alioqui detur parentibus naturalem in liberos sollicitudinem, & pietatem exuere; & filiis debitum parentibus obsequium declinare, & suam ipsorum perniciem maturare; quod a Sacro Consilio anno 1741. junctis aulis fuit definitum, & a Carolo Borbonio confirmatum (12).

Verum filii, qui seorsum a patre habitant, & quibus pater ex consuetudine alimenta praestat, non ea re patria potestate eximuntur: quoniam, ut supra dictum est, non sola separata habitatio, sed separata oeconomia, quae

(11) Napodanus ad d. Consuetud. si quis habet 1. num. 7. & 8.

(12) Pragm. un. de alimendis praest.

quae distincti patrimonii separatam administrationem exigit, filios patria potestate quasi solvit.

Ea vero alimenta filiis legitimis, & naturalibus debentur, non adoptivis, multoque minus illegitimis. Ejus rei argumentum est, quod consuetudo viri, & uxoris faciat mentionem: & quod ex bonis antiquis alimenta praestanda praecipiat, quae familiae bona esse videntur, & in quibus filiis, atque agnatis, & cognatis peculiare jus nostrae consuetudines non secus, ac jus Normannum, tribuunt. Filii vero adoptivi, atque illegitimi e familia non sunt (13).

Caeterum ejusmodi alimenta non ex omnibus bonis pater filiis praestare tenetur, sed duntaxat ex bonis antiquis, quae sunt bona familiae. Sunt autem bona antiqua, quaecunque patri a parentibus, agnatis, cognatisque successione, legato, donatione, vel quo alio lucrativo titulo obvenerunt. Ex bonis vero a se quaesitis alimenta minime debet, ut diserte nostris consuetudinibus cavetur (14). Ea sunt, quae pater ab extraneis quoquo titulo, vel ab agnatis, cognatisve titulo oneroso paravit. Praeterea ex bonis dotalibus alimenta filiis praestanda sunt: dos enim ad alendos quoque liberos datur: & nostrae consue-

(13) Napodanus ad d. Cons. si quis habet. 1. num. 4.
(14) Consuet. verum 3. d. tit.

suetudines ad dotem matris filiis peculiare jus tribuunt, ut quarto libro dicemus (15).

Quumque consuetudines sint jus Urbis proprium, quod in solo Neapolitano territorio obtinet; hinc fit, ut si pater bona antiqua extra Neapolitanum territorium possideat; ex iis nequaquam alimenta filiis debeat. Quum vero dicimus patrem, cui nulla sunt bona antiqua, vel extra Neapolitanum territorium sita, alimenta filiis minime debere; id intelligimus de alimentis ex consuetudine praestandis, non de iis, quae jure Romano debentur pro eorum indigentia.

Et quoniam ex bonis antiquis alimenta filiis secundum consuetudinem debentur, hinc sequitur, ut si post adsignatam singulis fructuum bonorum portionem, bona patri fuerint aucta, puta ex propinquorum hereditatibus, legatis, vel donationibus, singulorum partes augeri oporteat; & contra si ea fuerint aliqua calamitate deminuta, necesse sit singulorum partes deminui. Idque non obscure ipsa consuetudo indicat, quum jubet decedentium filiorum sine liberis portionem reliquis simul cum patre adcrescere (16). Quo argumento moveor, ut existimem bonorum antiquorum auctis, vel deminutis fru-ēti-

(15) Consuet. si quis habet 1. d. tit.
(16) Consuet. verum 3. d. tit.

ctibus, portionem singulis assignatam augendam, vel deminuendam esse.

Ad haec, quum ex fructibus bonorum alimenta filiis sint assignanda, consequitur, ut si bonorum antiquorum solum usumfructum pater habeat, ex eo debeat alimenta filiis praestare: nec ullo pacto contraria Napodani opinio probari possit (17). Immo ipsa consuetudo nostram sententiam confirmare videtur, quum alimenta filiis etiam ex bonis dotalibus decernit, in quibus pater vix aliud praeter usumfructum habet.

Illud tamen hic animadvertere oportet, assignationem ex fructibus dotis filiis factam, mulieri minime nocere, quum viro mortuo dos, ejusque fructus ad mulierem revertatur (18). Quod si mulier decesserit, dos, & reliqua ejus bona ad filios pertinent, quibus a patre erunt restituenda, si seorsum ab eo vivant (19). Horum bonorum fructus si ad eam summam perveniant, quae erat filiis ex consuetudine adtribuenda, nihil amplius ex bonorum antiquorum fructibus poterunt postulare: sin minus, quod deest, erit eis ex supradictorum bonorum fructibus supplendum (20).

(17) Napodanus ad d. Consuet. si quis habet 1. d. tit.
(18) Dict. Cons. si quis habet 1.
(19) Cons. si mulier nupta de jur. dot.
(20) Napodanus ad d. Cons. si quis habet n. 27.

Sed hoc interest inter alimenta ex bonis antiquis filiis praestanda, atque ex dote, bonisque maternis ea mortua, quod bona antiqua apud patrem maneant, eorumque dominium, & possessionem retineat, ex fructibus eorum certam partem filiis tribuens (21); quum contra ipsa dos, & bona materna filiis a patre sint restituenda, qui seorsum ab eo vivunt (22).

Quamvis autem pater, qui alimenta ex bonis antiquis filiis praestat, eorum possessionem retinere possit; tamen, si malit, poterit bona ipsa filiis assignare, ut ex eorum fructibus alimenta capiant. Filii vero non poterunt patrem invitum ad id obstringere, nisi justissima caussa id postulare videatur: quum plus sit bona ipsa ad filios transferre, quam certam summam ex eorum fructibus singulis mensibus, vel annis dare (23). Atque idem hoc interpretes docent de alimentis, quae jure Romano filiis debentur, quibus pater potest bona ipsa assignare: non vero filii id querunt a patre postulare, nisi justissima id exigat caussa (24).

Quod si filii fuerint ingrati, poterunt eis ali-

(21) Conf. verum si aliquis in fin.
(22) Dict. Conf. si mulier nupta.
(23) Napodanus ad d. Conf. si quis habet.
(24) Baldus, & Paulus a Castro ad L. cum quo 56. §. ult. D. ad L. Falcid.

alimenta parentes denegare (25). Id ipsum jure Romano cautum est (26). Quare Ulpianus refert Trebatio Marino rescriptum, *merito patrem eum nolle alere, quod eum detulerat* (27). Quod ita accipiendum censeo, ut pater liberis ingratis non modo ex consuetudine certae quantitatis assignationem alimentorum nomine: sed etiam ex jure Romano pro eorum indigentia, & dignitate lautiora possit alimenta denegare: non vero minuta alimenta, sine quibus vita duci nequit, ne eos videatur velle necare (28).

Ingrati vero filii ii dicuntur, qui quid eorum commiserunt, cur exheredes scribi mereantur. Quare nostri scriptores generalem tradunt regulam, quibus ex caussis quis potest exheredari, ex iisdem seu ex consuetudine, seu ex jure Romano posse alimentis privari (29). Quumque jure nostro, ut supra dictum est, filii, qui sine patris consensu nuptias ineunt, possint exheredes scribi, non dubitaverim eosdem alimentorum jure excidere.

Quod autem Napodanus scribit puellam, quam pater ultra decimum sextum annum

(25) Conf. in omnibus ult. d. tit.
(26) L. ult. C. de alen. lib.
(27) L. Si quis 5. §. 11. D. de agn. & al. lib.
(28) Thesaurus lib. 1. quaest. forens. cap. 70.
(29) Napodanus ad d. Conf. in omnibus ult. d. tit.

marito copulare distulit, si in corpus suum peccaverit, ea re neque exheredari, neque alimentis privari posse, allegans *Consuetudinem si moriatur, de successionibus ab intestato* (30); id verum non puto, quum ea consuetudo ad rem minime faciat, quod neque de exheredandis, neque de denegandis alimentis filiis tractet: sed de puella, quae mortuo patre jura masculorum consequitur, quod a fratribus nuptui data non sit. Idque nostris moribus extra omnem dubitationem esse videtur: etenim, quum rex noster vetuerit filios ante trigesimum, filias ante quintum & vigesimum aetatis annum nuptias sine patris consensu adhuc honestas contrahere: & si contraxerint, permiserit exheredari (31); multo magis filias, si ante eam aetatem in corpus suum peccaverint, puto posse exheredes scribi.

Hic abs re non est aliqua de alendis parentibus, caeterisque propinquis dicere. Et sane, uti parentes liberis debent alimenta praestare; ita parentes inopes a liberis alendi sunt, nisi ingrati adversus eos fuerint, ut meriti sint exheredari. Idque & naturali, & civili jure est constitutum. (32)

Praeterea frater sororem germanam alere de-

(30) Napodanus ad d. Consf. in omnibus num. 76.
(31) Pragm. 1. de matrim. a filiisf. contrah.
(32) L. 5. pr. D. de agn. & alend. lib. L. 1. & 2. C. de alend. lib. vel par. & arg. d. L. 5. §. 11.

debet: immo & uterinam, & fratrem seu germanum, seu consanguineum, seu uterinum, si inops fuerit, ut communiter interpretes docent. (33) Atque ad eam rem confirmandam plura laudant juris loca, quae id satis non probant: (34) *Sed sufficit firmare ex ipsa naturali justitia*, ut in simili scribit Modestinus. (35)

Utrum vero patruus fratris, vel sororis filios alere teneatur, quaestioni apud scriptores fuit. Quidam negabant, quod nulla civili lege id esset constitutum (36). Alii contra adfirmabant, quod filii fratris patris sui locum ingredi videantur: rectius dixissent, quod id exigat pietas, & naturalis aequitas (37). Atque horum opinionem Ferdinandus IV. rex optimus litteris diei 22. Maji 1779. merito probavit: jussit enim patruum, & patruum magnum ad fratris, vel sororis filios, & nepotes alendos cogendum esse, si quidem is

M 3 di-

(33) Colerus de alim. lib. 1. cap. 9. Perez. ad tit. C. de alend. lib. & Huberus ad tit. D. de agn. & al. lib.

(34) L. 12. §. 3. & L. 13. D. de adm. tut. L. 4. D. ubi pupill. educ. deb. L. 73. §. 1. D. de jur. dot. & L. 20. D. sol. matr.

(35) L. scire 13. §. 7. D. de excus. tut.

(36) Perez, & Huberus l. c. Acosta lib. 2. select. interpr. cap. 20.

(37) Surdus de alim. quaest. 28. & Facchineus lib. 12. contr. cap. 61.

dives fuerit, & illi inopes, maxime si fuerint pupilli, vel adolescentes. Et recte: nam *hoc aequitus suggerit, etsi jure deficiamur*, ut inquit Paulus (38). Quo argumento moveor, ut existimem, ubi ne patrui quidem, vel patrui magni huic oneri pares fuerint; avunculos, vel avunculos magnos ad alimenta praestanda cogi posse.

CAPUT V.

De tutelis, & curationibus.

HActenus de iis, qui alieni juris sunt, pergimus ad eos, qui sunt sui juris, Horum jure Romano quidam in tutela sunt, quidam in curatione, quidam utraque exemti. In tutela sunt pupilli, masculi quidem ad quartum decimum, feminae ad duodecimum annum expletum. In curatione sunt adolescentes seu mares, seu feminae ad quintum & vigesimum annum completum, qui minores dicuntur: item quicunque ob animi, corporisve vitium res suas sibi administrare non possunt. Extra tutelam, & curationem sunt, qui vigesimum quintum annum excessere, quique rebus gerendis idonei sunt.

At Langobardi mares aeque, ac feminas de-

(38) L. 2. §. 5. D. de aqu. pluv. arc.

decimo octavo anno expleto perfectae aetatis esse statuerunt: ante eam aetatem imperfectum eorum consilium esse existimarunt: eosque pupillos, infantes, & orphanos nuncuparunt (1): neque eos sibi res gerere permiserunt: sed si quid ab iis esset gerendum, judicis auctoritate, aut ejus, qui a judice deligeretur, id erat faciendum. Quare apud Langobardos nulli erant testamentarii tutores, sed soli dativi: quinimmo ipsi legitimi non aliter tutores erant, quam si ab judice essent delecti. Etenim omnes Germanicae originis populi ad principem omnium subditorum tutelam pertinere statuebant, potissimum vero minorum, & mulierum. Quare in capitularibus Ludovici Pii cavetur, *ut viduae, orphani, & minus potentes sub Dei defensione, & regis mundiburde pacem habeant, & eorum justitias acquirant* (2): & in Lege Normannica, *Duci ratione ducatus Normanniae custodia minorum usque ad vigesimum primum annum completum competere* dicitur (3). Quo fieri videbatur, ut nemo ejusmodi personarum tutelam susciperet sine principis jussione, aut magistratuum, qui pro principe rempublicam gubernabant.

Quumque Langobardi diutius in Italia domi-

(1) L. L. lib. 2. tit. 29. L. 1. 2. 3. & 7.
(2) Lib. 6. §. 223.
(3) Apud Ludevig. tom. 7. M. S.

minati sint, hinc factum, ut paene ubique apud nos decimus octavus annus completus habitus sit minoris aetatis terminus: idque Fridericus II. lege lata confirmavit (4). Ea constitutione nil juri Romano derogatum existimo, nisi, ut adolescentes decimo nono, qui olim anno vigesimo sexto, perfectae aetatis habeantur: in reliquis jus Romanum immutatum manere: et, quae eo jure cauta sunt, apud nos quoque esse servanda. Ideoque discrimen pupillorum, & minorum, tutorum, & curatorum minime esse abolitum. Idque non obscure significat idem Fridericus, quum tutorum, & curatorum mentionem facit, & quum permittit pupillis, ut caussas criminum, & publicas, seu accusent, seu accusentur, queant per tutores, aut curatores ad lites tractare, quod minoribus nequaquam licet. Similiter nequaquam probo eorum opinionem, qui generatim statuunt tutores, & curatores ab judice esse confirmandos, nec aliter posse tutelam gerere: sed iis duntaxat confirmationem reor esse necessariam, quos confirmandos jus Romanum praecipit, nempe, qui minus recte testamento dati sunt tutores: caeteros sine ulla confirmatione tutelam posse administrare: curatores vero generatim omnes non secus, ac jure civili cautum est, a magistratu esse confirmandos. Ad haec ipsos ado-

(4) Const. minorum jura, de rest. min.

adolescentes sibi curatores petere debere, iis invitis ab judice dari non posse: idque & in curatore ad lites obtinere. Adolescens enim ex Antonini constitutione monendus est, ut curatorem sibi petat, qui si in petendo cessaverit, judex ei curatorem ad litem dabit (5). Atque ita sacrum consilium definivit (6). Extra judicium vero nequaquam cogi curatores accipere: & nisi ipsi petant, non posse ipsis invitis curatores obtrudi, si bene res suas administrant (7). Quod adeo verum est, ut curator a patre testamento datus non aliter possit a magistratu confirmari, quam si minor petat. Atque ita in Sacro Consilio definitum refert de Marinis (8). At mores hodierni non facile sinunt minores sine curatoribus agere, & sibi res administrare.

Ita quidem jus est de iis, qui feuda non habent: de feudatariorum vero tutela, & curatione, quae *balius*, sive *baliatus* nuncupatur, diversum jus est. Etenim, quum feuda ob militiam darentur, si feudatarius decedens adolescentem filium reliquisset, qui ad militiam non esset idoneus, moribus Normannorum, dominus feudum recipiebat, & illud vel

(5) L. 1. C. qui petant tutores.
(6) Afflictus decis. 256.
(7) Gratianus discept. forens. cap. 282. Paschalis de vir. patr. potest. par. 3. cap. 9. num. 51.
(8) De Marinis lib. 1. resolut. cap. 289.

vel sibi retinebat, atque alimenta pro dignitate defuncti feudatarii filio praestabat: vel alii concedebat, qui eo frueretur praestitis pariter inde adolescenti alimentis, qui *balius* dicebatur; donec defuncti filius ad militiam esset idoneus, hoc est vigesimum primum aetatis annum excederet: tunc enim fidelitatem domino jurabat, & feudum recipiebat (8). At apud nos, ubi defuncti feudatarii filii ad pubertatem venerant, quoniam fidelitatem domino jurare poterant, feudum recipiebant.

Hinc Fridericus II. statuit pupillorum feudatariorum principem *bajulum* recipere, *vel sibi tenendam, vel alii, qui ex fide illum gerere debeat juxta approbatam regni consuetudinem concedendum* (9). Balium vero ad pubertatem usque durare: & tum balios administrationis rationem reddere debere: deductoque eo quod pro ipso bajulo solverint: deductisque justis, & moderatis expensis, quae pro victu, & vestitu suo ipsorum baliorum, & pro persona, & rebus pupillorum, & pro servitio curiae debito fecerint; reliqua pupillo esse restituenda. Quod si quid eos intercepisse constiterit, ad duplum esse damnandos,

(8) Choppinus de demanio Franc. lib. 3. tit. 19. num. 9.

(9) Const. in aliquibus de succes. filior. com. & baron.

dos, ſcilicet ad rei reſtitutionem, & tantumdem fiſco inferendum, conſuetudine, quae balios ratiociniis eximebat, plane exploſa (10).

Duo tamen hac in parte poſterioribus noſtris legibus immutata ſunt. Etenim primo jure Fridericiano balius pubertate finiebatur: pubertas vero non ſolum in maſculis, ſed etiam in feminis expleto quarto decimo anno incipere exiſtimabatur (11). Quare feudatarios, ubi decimumquintum annum attigiſſent, tam in judiciis, quam in contractibus perfectae aetatis fuiſſe noſtri ſcriptores tradidere (12). Sed *Pragm. 2. de min.* cavit feudatarios non aliter, quam caeteros cives ad duodevigeſimum annum expletum baliorum auctoritate eſſe diregendos; niſi feudataria mulier ante eam aetatem nubat, tunc enim nuptiis balius finitur. Quod non ita accipiendum reor, quaſi mulier ante eam aetatem nupta perfectae aetatis cenſenda ſit: ſed quod feudum a viro ſit adminiſtrandum, ideoque balius finiatur. Unde ſi maritus antea, quam mulier ad decimum octavum annum perveniat, deceſſerit, iterum in curationem balii recidet (13).

Dein-

(10) Conſt. minoribus de jur. balii.
(11) Dict. Conſt. in aliquibus.
(12) Andreas ab Aeſernia, Afflictus, & Tapia ad d. Conſt. minoribus.
(13) Grammaticus deciſ. 54.

Deinde jure Fridericiano balius a solo principe dari potuit : at Carolus II. Andegavus permisit decedenti feudatario , quem velit , testamento dare: eo intestato mortuo a principe esse dandum ex proximioribus defuncti magis idoneum ; nisi mater supersit honestae , ac sobriae vitae, quam princeps baliam dabit , caeterisque defuncti conjunctis anteponet . Quae si ad secundas migraverit nuptias balium amittet (14).

Verum,quae de minoribus feudatariis diximus ad eos pertinent , qui feuda *quaternata*, quae vocant, possident,quae scilicet ab ipso principe obtinuerunt , & propter ea principi servitium exhibent . Qui vero feuda, quae dicuntur *plana* , *& de tabula* habent ; ii aeque , ac non feudatarii tutorum , curatorumque auctoritate reguntur (15).

Ex his , quae dicta sunt , facile est intelligere discrimen , quod inter balios , & tutores , curatoresque intercedit. Etenim quamvis tam feudatarii , quam ii , qui feudatarii non sunt , ad decimum octavum annum alieno auxilio indigeant ; nec antea perfectae aetatis censeantur ; tamen, qui feuda non habent, ad pubertatem usque tutores accipiunt : postea

(14) Cap. feudatarius decedens testatus 164. de bal. const.

(15) Afflictus ad d. Const. minoribus , & Freccia de subfeudis lib. 2. cap. 5.

ftea curatores: quum contra feudatarii, feu puberes, feu impuberes baliis fubfint.

Deinde invitis adolefcentibus, qui feuda non habent, ut fupra dictum eft, curatores minime dantur; quum contra feudatarii neceffario balios accipiant. Ad haec tutores rite teftamento dati, uti & legitimi, confirmatione magiftratus non indigent: at balii femper a principe dandi funt, vel ab eo confirmandi, quoniam balius fine principis adfenfu conftitui nequit. Ea re balius teftamento datus olim a Collaterali Confilio, hodie a Regali Camara S. Clarae confirmatur. Quod fi feudatarius inteftatus deceſſerit, ab eadem Regali Camara S. Clarae datur, tum ad Regiam Camaram Summariae remittitur, ut adimpleat, quae debet, hoc eft inventarium conficiat, & cautionem praeftet (16)

Et quamvis Carolus II. videatur permittere balio, qui teftamento conftitutus eft, balium fine principis licentia gerere; ita enim cavet: *Feudatarius decedens teftatus ftatuat filio minori balium, quem vult, qui baliatum fufcipiat, nulla de hoc a nobis, vel a curia noftra licentia impetranda*; tamen id non ita accipiendum eft, ut balius fine principis licentia baliatum gerat, fed ut fine principis licentia feudatarius teftamento balium det(17). De-

(16) Camillus a Curte refol. feud. cap. 3. §. 90.
(17) Tapia ad d.cap.feudatarius decedens teftatus.

Denique tutores testamento dati quemadmodum dati ex inquisitione satisdatione non onerantur. At balii feudatariorum satisdare debent, etsi testamento a patre dati sint (18). Et quoniam difficile est invenire fidejussorem, qui omnem rem pupilli feudatarii salvam fore caveat, introductum est, ut annui feudi fructus spectentur, in eamque summam decreto Regiae Camarae Summariae balii fidejussor accipiatur. Etenim balius spondet ex fide balium administraturum, & quotannis administrationis rationem in Regia Camara redditurum: id fidejussor quoque promittit (19). Quo fit, ut si balius rationes quotannis reddere cessaverit, atque in majorem summam fuerit condemnatus, non ideo minus fidejussor teneatur: quoniam certae summae definitio, in quam fidejussor accipiatur, non ideo fit a Regia Camara, ut in majorem summam ne teneatur, sed ut facilius fidejussor possit inveniri (20).

Illud quoque interest inter tutores, curatores, & balios, quod illorum officium gratuitum sit, nec salarium ob tutelam, curationemque administratam peti possit, nisi initio a magistratu ex justa caussa fuerit constitu-

(18) Camillus a Curte resol. feud. cap. 3. §. 89.
(19) De Ponte de potest. proreg. tit. 10. §. 1. de bal. dand. feud.
(20) De Marinis lib. 1. resol. cap. 137.

stitutum, ut docet Callistratus inquiens: *Principalibus constitutionibus declaratur: sumtuum, qui bona fide in tutelam, non qui in ipsos tutores fiunt ratio haberi solet; nisi ab eo, qui eum dat, certum salarium ei constitutum est* (21). At baliis semper salarium debetur: nam Fridericus II. ut dictum est, voluit eos fructibus feudi exhiberi. Idcirco Sacrum Consilium rationibus reddendis salarii, quod baliis debetur, rationem habere solet (22). Quare non facile adsentior iis, qui putant, ubi pater fuerit filii balius, ei salarium, nequaquam deberi (23). Quoniam balio non ob labores salarium debetur, sed pro sua ipsius exhibitione, quam generatim ex fructibus feudi ex Friderici constitutione potest postulare (24).

Quod si fructus feudi adeo tenues sint, ut vix alendis defuncti feudatarii filiis sufficiant, crediderim posse balio salarium denegari, potissimum si is dives sit, & pupillorum agnatus, cognatusve, nec multum laboris in pupillorum, bonorumque administratione sit (25).

Por-

(21) L. a tutoribus 33. D. de administ. tut. Bartolus ad d. L. 33.
(22) De Franchis decis. 122.
(23) De Marinis alleg. 27. num. 3.
(24) De Luca ad de Franchis decis. 340.
(25) De Marinis d. allegat. 27. num. 12.

Porro tutela, & cura finitur non modo morte, & capitis deminutione seu tutorum, curatorumve, seu pupillorum, vel adolescentium: & remotione, vel excusatione ipsorum tutorum, & curatorum: item ubi pupilli puberes facti sunt, vel adolescentes ad perfectam aetatem venerunt: sed etiam venia aetatis a principe impetrata; de qua aliqua hoc loco dicenda sunt. Et quidem jure Romano a Constantino imperatore cautum fuit, ut masculi, qui vigesimum, & feminae, quae decimum octavum annum explevissent, possent a principe veniam aetatis impetrare, & principis rescriptum magistratui offerre, eique scripturis, & testibus probare aetatem, prudentiam, & vitae sobrietatem, ut sibi rerum administratio permitteretur. Quo facto perfectae aetatis censerentur (26).

Ea aetatis venia olim apud nos a Collaterali Consilio impetrabatur: quumque a Carolo Borbonio, quem Deus sospitet, pro Collaterali Consilio fuerit Regalis Camara S. Clarae instituta, ab eo tribunali aetatis venia de more petita fuit. At quoniam aetatis veniam indulgere non est ordinariae magistratuum jurisdictionis, sed summae principis potestatis: nec olim a Collaterali Consilio, sed ab eo, qui & Collaterali Consilio, & regno pro rege prae-

(26) L. 2. C. de his, qui ven. aetat. impetr. Duarenus ad d. tit. Cod.

praeerat obtinebatur ; hinc merito noſtra aetate non niſi a rege conceditur , qui ex relatione ſeu Regalis Camarae S. Clarae, ſeu Sacri Conſilii, ſeu Magnae Curiae Vicariae unius anni, plus, minus, ut ei viſum fuerit, veniam indulget (27).

Is, qui veniam impetravit tam in contractibus, quam in judiciis perfectae aetatis habetur: eique rerum adminiſtratio permittitur, &, ſi qui in iis adminiſtrandis male geſſerit, in integrum reſtitutione minime juvatur, *ne hi , qui cum eo contrahunt, principali auctoritate circumſcripti eſſe videantur* (28). Immobilia tamen ſine magiſtratus decreto neque alienare poteſt, neque hypothecae ſupponere (29): & ſi quid ei, vel ab eo debeatur, quum perfectae aetatis fuerit, non antea petere, vel ab eo peti poteſt, quam ad legitimam venerit aetatem (30). Sed noſtris moribus non ſola immobilium rerum alienatio, & hypotheca his , qui veniam aetatis impetraverunt, vetita eſt : ſed omnis contractus, atque obligatio . Quare iis bonorum adminiſtratio decernitur , *dummodo non contrahant, neque ſe obligent* (31) . Quod non ita accipien-

N

(27) Collect. reg. lit. par. 2. tit. 44. num. 1. & tit. 95. num. 1.

(28) L. 1. C. de his, qui ven. aetat. impet.

(29) L. 2. §. 1. & L. 3. C. d. tit.

(30) L. ult. C. d. tit.

(31) Collect. reg. lit. par. 2. tit. 44. num. 1. & tit. 95. num. 1.

piendum est, quasi is, qui veniam aetatis impetravit, nullum contractum inire possit; ita enim res administrare nequiret: sed quod eos contractus, quos administrationis ratio non exigit, facere non possit, neque ex iis obligari, potissimum ex fidejussione, & pecunia credita; nisi ex justa caussa apud magistratum probata ei fuerit permissum.

CAPUT VI.

De in integrum restitutione minorum, atque eorum, qui minorum jure utuntur.

SEquitur, ut hoc loco aliqua de in integrum restitutione subjungamus. Jure Romano, qui perfectae aetatis non sunt, si quid gesserunt, & seu sua facilitate, seu aliena calliditate in captionem inciderunt, in integrum restituuntur: Edixit enim praetor: *quod cum minore, quam vigintiquinque annis natu gestum esse dicetur, uti quaeque res erit, animadvertam* (1). Ex hoc igitur edicto si adolescens contrahendo, aut alia ratione captus fuerit, potest in integrum restitutionem implorare, qua caussa cognita, quod gestum est, rescinditur: & minori jus, quod amisit, integratur, permittiturque persequi, quod ei perierat (2). At

(1) L. 1. §. 1. D. de minor.
(2) Consulite meam tractationem de rest. in integr. lib. 1.

At jure Langobardo nulla minoribus in integrum restitutio tributa est. Etenim ii, qui perfectae aetatis non erant, neque res alienare, neque eas hypothecae supponere, neque quovis modo obligari poterant, nisi bona vellent alienare pro aere alieno exsolvendo; quo casu necessaria erat principis venia, qui probum virum destinabat, cujus cura alienatio perageretur, aut pro alimentis potissimum tempore famis, quo casu judicis necessaria erat auctoritas (3). Praeterea si res comunis esset dividenda, aut judicio minor cum alio, aut alius cum minore vellet contendere; utroque hoc casu a judice dabatur, qui rem divideret, aut minorem defenderet. Atque, ubi iniqua facta fuerat divisio, licebat ei, qui damnum senserat, intra quadragesimum annum de ea re queri: ubi vero dolo, vel culpa ejus, qui minorem judicio tuitus fuerat, is rem amiserat, adversus eum poterat experiri (4). Quo argumento moveor, ut existimem, quando dolo, aut culpa ejus, cui alienatio a principe, vel judice fuerat commissa, minor damnum fecerat, potuisse hunc adversus eum de indemnitate experiri. Atque ita nunquam in integrum restitutioni locus fieri poterat; quamobrem nulla de ea in legibus Langobardorum mentio occurrit.

N 2 Quum

(3) L. L. lib. 2. tit. 29. L. 1. & 7.
(4) L. L. d. lib. 2. tit. 29. L. 3. & 4.

Quum vero apud nos juris Romani augeri coepit usus, coepit quoque in integrum restitutio audiri. Quare Fridericus II. qui Romani juris fuit studiosissimus, illud plane restituere curavit. Minoribus enim, qui seu in contractibus, seu in judiciis laesi essent, in integrum restitutionem indulsit: *Quibus*, inquit, *in illis casibus tantum succurrimus beneficio in integrum restitutionis indulto, quibus leges veteres* (idest Romanae) *succurrebant* (5).

Deinde hanc in integrum restitutionem minoribus concedit, adhuc si in modico laesi proponantur; quod juri quoque Romano consentaneum est (6). Quare probare nullo modo possum eorum opinionem, qui negant ob modica damna minori esse succurrendum (7).

Denique minoribus delinquentibus restitutionis auxilium denegat inquiens: *eis autem delinquentibus, si delictum procedat ex animo, nisi quatenus miseratio aetatis judicem moverit, minime subvenimus*. Atque hac pariter in parte Fridericus jus Romanum confirmat, quo jure, si quid minores dolo, & consulta opera deliquerint, non restituuntur: sin cul-pa,

(5) Const. minorum jura.

(6) Consulite meam tractationem de rest. in integr. lib. 1. cap. 5.

(7) Ut Afflictus ad d. Const. minorum jura.

pa, ignorantia, & judicii infirmitate, possunt praetorio auxilio juvari (8).

Quamvis vero minor adversus ea delicta, quae dolo admittuntur, non restituatur, tamen interdum mitiori poena punitur, si quidem infirmitas aetatis videatur aliquam excusationem mereri; quod ex judicis religione pendet, qui debet factum examinare, ut decernat severiori, an mitiori poena minor sit puniendus. Idque & Tryphoninus indicare videtur, quum scribit, *nisi quatenus miseratio aetatis ad mediocrem poenam judicem perduxerit* (9) & Fridericus II. illis verbis *nisi quatenus miseratio aetatis judicem moverit* (10). Quare quum apud nos olim dubitatum fuisset, utrum minor posset legitima poena plecti, merito statutum fuit posse, si scilicet tanta malitia delictum admissum, ut nullus miserationi locus videatur relictus (11).

Et quoniam minores non modo, ubi damnum fecere, sed etiam, ubi lucrum amisere, restituuntur; hinc fit, ut si res minoris venierit, etsi tanti vendita, quanti valebat; tamen si novus emtor extiterit, qui plus of-

(8) L. auxilium 37. §. 1. D. de minor. L. 1. Cod. si advers. delic. Consulite meam tractationem de de rest. in integr. lib. 1. cap. 8.

(9) Dict. L. 37. §. 1. D. de minor.

(10) Dict. Const. minorum jura.

(11) Prag. 1. de minor.

offerat, restitutio minori sit tribuenda (12). Verum id apud nos ita procedit, siquidem res minoris sine auctione vendita, tunc secundum jus Romanum caussa cognita poterit restitutionem impetrare. At si res sub hasta venierit, tunc legitimae adjectiones permittuntur, quae intra legitima tempora fiant, quibus lapsis nullus restitutioni locus est. Sunt autem legitima tempora, in quibus adjectiones admittuntur, quadragesimus post auctionem dies, in quo decimae pretii partis adjectio admittitur, modo nondum fuerit emtori res tradita: & trimestre, postquam emtor fuerit in possessionem immissus, in quo licet sextam pretii partem adjicere (13). Sed de hac re plenius libro quinto dicemus.

Haec quidem in Regni provinciis obtinent: sed in hac principe urbe, ubi pupillus tutoris auctoritate contraxerit, non aliter potest in integrum restitutionem postulare adversus eum, quicum contraxerit, quam si nequeat a tutore suum consequi (14). Et quod consuetudo statuit de pupillo, qui auctoritate tutoris contrahit; idem servari vult, si *abocatoris* auctoritate contraxerit, his verbis, *pupillus, qui vendidit, vel aliter contra-*

(12) L. ait praetor 7. §. 8. D. de minor.
(13) Prag. 71. de off. procur. Caesar.
(14) Consuet. pupillus, de in integr. restit. min.

trahit cum tutoris auctoritate, seu cum auctoritate alicujus dati ad ipsum contractum eidem pupillo per homines plateae, seu tocci, in quo idem pupillus habitat, qui sic datus secundum vulgarem usum loquendi Neapoli dicitur abocator, *cum quo contrahit, ejusque heredem, vel alium habentem caussam ab ipso contrahente cum pupillo, recursum scilicet non habet, nisi in subsidium discusso dicto tutore sive abocatore, & eo non invento solvendo, ita quod per res, & bona ipsius tutoris, sive abocatoris non possit provideri indemnitati pupilli: in eo enim, in quo non inveniuntur solvendo tutor, vel abocator, ad rem distractam, & alienatam pupillus habere potest recursum, pro ut jura communia ei permittunt.*

Hac consuetudine juri Romano derogatur: etenim eo jure, ut alibi demonstravimus, pupillus, vel minor, qui in contrahendo captus est, potest recta adversus eum, quicum contraxit, ejusve heredem: immo, & adversus rei alienatae possessorem in integrum restitutionem impetrare (15). Eam vero consuetudinem ex jure Normanno ortam conjicio. Etenim jure Normanno non secus, ac Langobardo in integrum restitutiones incognitae: sed adversus tutorem, vel eum, cui alienatio, vel defensio pupilli commissa erat, actio fuit tributa (16), qui quod

 ad

(15) De rest. in integr. lib. 1. cap. 2. §. 11.
(16) L. L. lib. 2. tit. 29. L. 4.

ad defendendum pupillum daretur advocatus, & corrupte *abocator* dicebatur. Atque hanc meam conjecturam illud confirmat, quod consuetudo mentionem faciat *abocatoris dati per homines plateae seu tocci, in quo idem pupillus habitat*, quod plane juris Normanni est: nam jure Normanno tutores non constituebantur, nisi a judice per inquisitionem accitis consanguineis pupilli usque ad duodecim, vel si hi deessent amicis, vicinisque (17). Quare ubi usus juris Romani magis stabiliri coepit, majores nostri in integrum restitutionem pupillis non tribuerunt, nisi in subsidium, quum suum a tutoribus consequi non poterant.

Et quoniam hujusmodi consuetudo ex jure Langobardo, & Normanno descendit, ne ii, qui cum pupillis contraxere, nisi in subsidium, inquietentur; hinc sequitur, ut non modo, si pupilli tutorum auctoritate, sed etiam si minores curatorum consensu contraxerint; ea locum habeat (18). Idque non solum paritas rationis arguit, sed etiam vox pupillus, quae ex usu ejus aetatis potissimum apud Francos omnes eos denotabat, qui legitimae aetatis non erant (19). Parique ratio-

(17) L. Normanna §.223. apud Cormerium lib. 1. tit. 2. cap. 7. §. 42.

(18) V. notata ad d. Consuet. pupillus, & de Franchis ibidem.

(19) L. L. lib. 2. tit. 49. L. 2.

trone exiſtimaverim, ſi quid auctoritate curatoris ad certam cauſſam ab judice dati geſtum fuerit, non poſſe eum, qui contraxit, inquietari, niſi in ſubſidium; potiſſimum quod conſuetudo *abocatorem* quoque meminerit; & *abocatores* ad certam cauſſam darentur (20).

Verum id intelligendum, modo tutorum, curatorumve dolus, aut culpa arguatur: nam alioqui non eſt, cur pupillo, aut minori adversus eum, quicum contraxit, reſtitutio denegetur, ne vel omni auxilio deſtituatur, vel tutores, curatoreſve ſine culpa plectantur: ut in ſimili cavit Fridericus II. de mulierum *mundualdis* & procuratoribus (21).

Quumque haec conſuetudo non res, ſed perſonas, & contractus ſpectet; hinc fit, ut quum bona tutoris, curatoriſve excutiuntur; excutienda ſint non modo, quae in Neapolitano, ſed etiam, quae extra Neapolitanum territorium ſita ſunt, ut rectiſſime monet Napodanus.

Quod vero idem Napodanus tradit conſuetudini locum non eſſe, quando alienatio judicis decreto facta eſt; quoniam tunc nec laeſio praeſumitur, nec reſtitutio poteſt poſtulari; id verum non puto. Nam, ut alibi demonſtravimus, pupillis, & minoribus adverſus alienationem, caeteroſque contractus judi-

(20) Napodanus ad d. Conſ. pupillus.
(21) Conſt. obſcuritatem de in integ. reſt. mul.

dicis decreto celebratos, in integrum restitutio est, si laesi proponantur (22). Atque id ipsa consuetudo indicare videtur, quae de alienatione bonorum pupilli quoque tractat, quae alienatio plerumque judicis decreto fieri debet.

Sequitur, ut videamus de iis, qui minorum jure utuntur, ut restituantur. Et quoniam non sola consilii infirmitas minoribus restitutionem tribuit: sed potissimum aliena cura, quamobrem sibi ipsi res administrare non possunt, sibique providere; hinc fit, ut quicunque in ea caussa sunt, ut sibi consulere nequeant, sed necessario aliena cura sint regendi; minoribus hac in parte sint comparandi, &, si in captionem inciderint, sint restituendi (23).

Eaque de caussa, & furiosis, & mente captis, & prodigis, quibus bonis interdictum est, & mutis, & surdis, & iis, qui perpetuo morbo laborant, ut in curatione sint, in integrum restitutionem praestandam docui; uti & hereditati jacenti, & bonis, sive patrimonio ejus, qui apud hostes est, aut abest, aut bonis cessit, decoxitque (24).

In

(22) De rest. in integ. lib. 1. cap. 2. L. 2. C. de fidejussor. minor. & L. si quidem 11. C. de prad. minor.

(23) Baldus in L. Marcellus 25. D. de fidejussor.

(24) De rest. in integ. lib. 1. cap. 4.

In hoc numero in primis est respublica, de qua Diocletianus, & Maximianus ita statuere: *Respublica minorum jure uti solet, ideoque auxilium restitutionis implorare potest* (25). Quumque reipublicae jura omnia in fiscum principis translata sint; ideo fisco in integrum restitutio tributa est. Quod diserte a Friderico II. statutum fuit his verbis. *Beneficium restitutionis in integrum nostrae reipublicae in judiciis, & contractibus antiquis legibus reservatum, non illi praecidimus, sed illud nobis integre reservamus* (26). Quo in loco *τα nostrae reipublicae*, & *το nobis* aperte fiscum principis indicant (27).

Illud singulare est, quod fisci procurator, adhuc sine speciali mandato possit in integrum restitutionem postulare, quum contra minorum procuratores, nisi habeant speciale mandatum, ad petendam in integrum restitutionem non admittuntur (28).

Praeterea fiscus, ubi in integrum adversus sententiam petit restitui, non quadriennii, ut minores, sed triennii praescriptione repellitur; quod jure Romano cautum a Friderico II. fuit confirmatum (29).

De-

(25) L. 4. C. ex quib. causs. major.
(26) Const. beneficium de rest. reip.
(27) Andreas ab Aesernia ad d. Const. beneficium, Afflictus decis. 340.
(28) Dict. Const. beneficium.
(29) L. unic. C. de sent. adver. fis. lat. retract. Const. quadragenalem de prorog. praescr.

Denique, ubi res fisci sub hasta vendita, aut locata fuerit, lapsis legitimis temporibus, quibus adjectiones admittuntur, amplius ad lucrum nequaquam restituitur, ut scilicet novus emtor majus pretium offerat (30).

Non modo fiscus minorum jure in petenda restitutione utitur, sed etiam universitates, quae & respublicae dici solent, & collegia, & corpora licita, & ecclesiae, & monasteria, & hospitalia, & caetera religiosa loca, de quibus alibi disputavimus (31).

CAPUT VII.

De mulieribus, & restitutione eisdem praestanda.

EOrum, qui perfectae aetatis sunt, alii mares, aliae feminae sunt. Quamvis autem plerumque mulieres eodem, quo viri, jure utantur, & in legibus masculinum vocabulum etiam feminas comprehendat; tamen ob sexus imbecillitatem, infirmitatemque consilii mulieres a publicis, & civilibus muneribus removentur: eisque saepe juris ignorantia minime nocet: & interdum, si quid infirmitate, & ignorantia magis, quam malitia deliquerint, mitius puniuntur. Praeterea, si

(30) Prag. 71. de Off. proc. Caesar.
(31) De rest. in integ. lib. 1. cap. 4.

si mulieres pro aliis intercesserint, alienamque obligationem susceperint, senatusconsulti Vellejani juvantur auxilio (1). Quumque disputarent interpretes, num mulieres possent huic beneficio renuntiare: & plerique adfirmarent, maxime si renuntiatio esset jurejurando firmata (2); ad omnem dubitationem removendam nostro jure cautum est non posse: earumque adhuc juratas, & quovis modo factas renuntiationes ratas non esse. Poenaque proposita est adversus notarios, & scribas, qui ejusmodi mulierum obligationes contra senatusconsultum conscriberent, privationis muneris, & unciarum centum. Atque senatusconsulti Vellejani exceptionem litis ingressum, & contestationem impedire statutum est: atque in dubio pro mulieribus esse & respondendum, & judicandum (3).

Hinc apud nos mulieres pro aliis nullo modo possunt intercedere, aut simul cum viris obligari (mulier enim, quae una cum viro adhuc extraneo obligatur, immo adhuc si seipsa obliget viro fidejubente, senatusconsulti Vellejani tuta est auxilio, quod censeatur pecunia in viri, non mulieris utilitatem versa, nisi contrarium probetur:) (4) mulie-

(1) L. 1. & pass. D. ad S. C. Vellej.
(2) Fachineus lib. 2. cont. cap. 60. & 61.
(3) Prag. 2. ad S. C. Maced. & Vellej.
(4) Arg. auth. si qua mulier C. ad S. C. Vellej. Faber lib. 4. C. tit.21. def. 1. Thesaur. decis. 222. & 223.

lieres, inquam, neque alienam obligationem suscipere, neque simul cum viris obligari possunt, nisi de principis venia, quae olim a Collaterali Consilio, hodie a Regali Camara S. Clarae conceditur, qua impetrata, mulierum obligationes ratae sunt, si vel maxime pro aliis intercesserint, atque in rem alienam non sine suo ipsarum damno se obligaverint; modo, ut res erat, fuerit precibus principi narrata: & modo mulieres dolo deceptae non sint: atque ita saepius Sacrum Consilium definivit (5).

Verum quamvis plerumque mulieres non possint alienam obligationem suscipere, aut in rem alterius obligari; tamen sunt plerique casus, in quibus id nequaquam prohibetur, & mulieres senatusconsulti auxilio minime juvantur, veluti si pro libertate, si pro dote se obligaverint, aut tutelam administrantes rem pupilli salvam fore promiserint, adhuc si contutoribus id pollicitae sint (6). Quibus in caussis mulierum obligationes adhuc jure nostro ratas esse constat. Quare nostri scriptores generalem tradunt regulam, quibus ex caussis mulier jure Romano senatusconsulto minime defenditur; ex iisdem ne-

(5) De Marinis lib. 1. resol. cap. 276. & lib. 2. cap. 236.

(6) Quos, & similes casus legere licet in L. 6. L. 12. L. pen. & passim C. ad S. C. Vellej.

neque jure nostro senatusconsulti auxilio juvari : quoniam pragmatica nihil novi juris constituit, sed jus Romanum recentavit, & confirmavit (7).

De ea specie merito dubitatur, utrum si mulier post biennium intercessionem ratam habuerit, ea ratihabitio jure nostro valeat, an non, quam constat jure Romano valere, nisi uxor pro viro se obligaverit (8). Et plerique hanc mulieris obligationem ratam existimant ex generali regula, quibus ex caussis mulier jure Romano senatusconsulto non defenditur, ex eisdem jure nostro quoque teneri (9). Alii contra sentiunt, quod pragmatica mulierum obligationes plane rejecerit ; quum eas metu initas censeri voluerit, quo nomine irritas declarasse videtur; quo fit, ut ne post biennium quidem ratihabitione possint confirmari (10).

Quamvis vero in superioribus caussis ratae sint mulierum obligationes, quemadmodum, & alienationes, & caeteri contractus, quos in rem suam ineunt, nisi mulieres nuptae dotem alienare, vel hypothecae supponere velint; ta-

(7) Merlinus contr. 4. num. 15. Staibanus resol. 42.

(8) L. si mulier 22. & auth. si qua mulier C. ad S. C. Vellej.

(9) Staibanus, & Merlinus loc. cit.

(10) De Luca ad de Marinis lib. 2. resol. cap. 236.

tamen moris est, ut in omnibus mulierum contractibus, obligationibus, atque alienationibus principis venia impetretur, quae de more a Regali Camara S. Clarae conceditur. Quam veniam quidam putant necessariam, quod jure Langobardo mulieribus non licuerit res suas alienare, aut aliter se se obligare. At ipse existimo ex usu magis, quam ex necessitate eam veniam obtineri: omissamque obligationi, vel alienationi jure communi probatae non officere. Ejusque rei argumentum est, quod & mulieres, quae jure Romano vivunt, in contractibus eam veniam obtineant: & quod ne jure Langobardo quidem principis venia necessaria fuerit in mulierum obligationibus, atque alienationibus, quibus satis erat mundualdorum consensus (11). Quare nunquam ejusmodi mulierum obligationes, vel alienationes eo nomine irritas pronuntiatas scio.

Ad haec prudentissimus noster rex vetuit mulieres, quae patris, aut mariti curae subsunt, pecuniam mutuam recipere, aut habita fide de pretio merces a mercatoribus emere sine patrum, maritorumve consensu: & eos, qui crediderint, vel mercatores, qui merces vendiderint, petentes senatusconsulti Vellejani exceptione esse repellendos (12).

Coa-

(11) De Marinis lib. 2. resol. cap. 136. num. 6.
(12) Pragm. 3. ad S. C. Maced. & Vell.

Caeterum mulieres, quae perfectae aetatis ſunt, excepta interceſſione, non ſecus, ac mares iure Romano contrahere, atque judicio experiri poſſunt. At jure Langobardo ob infirmitatem conſilii in perpetua tutela fuere, quam *mundium* dicebant, uti earum tutores *mundualdos*. Quare Rotharius rex ita ſtatuit: *Nulli mulieri liberae ſub regni noſtri ditione lege Langobardorum viventi liceat in ſuae poteſtatis arbitrio, ideſt ſine mundio, vivere; niſi ſemper ſub poteſtate viri, aut poteſtate curtis regiae debeat permanere: nec aliquid de rebus mobilibus, aut immobilibus, ſine voluntate ipſius, in cujus mundio fuerit, habeat poteſtatem donandi, aut alienandi* (13). Hinc factum, ut fere ubique in noſtro regno mulieres jure Langobardo uſae in mundualdorum poteſtate fuerint, eorumque mentio in noſtris legibus occurrat (14), ut taceam notariorum inſtrumenta, in quibus perpetua mundualdorum mentio ex uſu magis, atque ignorantia ipſorum, quam ex juris neceſſitate proficiſcitur.

Quamvis vero apud Langobardos mulieres ſub mundualdorum cura eſſent; tamen nulla eis in integrum reſtitutio tribuebatur, quoniam

(13) L. L. lib. 2. tit. 10. L. 1.
(14) Conſt. obſcuritatem de in integ. reſt. mulier. & Rit. M. C. 292. de tut. curat. & mundual.

niam in integrum restitutiones Langobardis incognitae. At ubi juris Romani auctoritas constabiliri, coepere mulieres in integrum restitutionem postulare: eisque, ubi non modice laesae essent ob sexus fragilitatem, Rogerius rex subveniendum praecepit (15).

Quumque Rogerius mulieribus succurrendum jussisset, *sicut & decet, quatenus & oportet*, Fridericus II. rem plenius declaravit his verbis: *Mulieres Langobardorum, seu Francorum jure viventes in judiciis tantum restituendas esse sancimus, quum per negligentiam, vel fraudem mundualdorum, seu procuratorum suorum enormiter laesae probantur, & adversus praedictos mundualdos, vel procuratores, dum forte non sint solvendo, indemnes servari non possunt. Idem si propter nimiam simplicitatem ipsorum enorme damnum incurrant. Nam licet praescriptorum simplicitas ipsos excuset; simplicitas tamen eorum in damnum mulierum reverti non debet*. Mulierum vero nomine jure Francorum viventium etiam eas comprehendi, quae jure Romano vivunt, tradunt interpretes (16).

Restituuntur autem in judiciis, non adversus sententiam, sed adversus omissas probationes, ut nova eis dilatio concedatur, qua queant, quae debent, judici legitime osten-

(15) Const. mulieribus de rest. mulier.
(16) Glossa ad d. Const. obscuritatem.

ostendere (17). Eaque restitutio recta, & sine ulla caussae cognitione praestatur, ne lites litibus serantur (18). Verum ea restitutio non generatim mulieribus tribuitur, sed viduis, aut virginibus, quae in patris potestate non sunt: quoniam nuptae, & quae in sacris paternis manent, a viris, patribusque defenduntur, ut restitui non indigeant.

In contractibus vero, caeterisque negotiis omne eis restitutionis auxilium Fridericus denegat: ejusque rei rationem reddit, quod in iis possint judicum, mundualdorum, & procuratorum praesentia juvari. Eis vero juris ignorantiam minime obesse voluit; eisque ob eam rem succurrendum jussit. Qua in parte jus Romanum plane recentare voluit, inquit enim, *casus etiam in quibus antiqua jura mulieribus ignorantibus succurrebant in sua robore reservamus.* Antiquorum vero jurium nomine leges Romanas intelligit. Casus autem in quibus mulieribus succurrendum praecipit, hos proponit: *Si per errorem non pretio accepto ab accusando desistant*; quod ipsum jure Romano cautum est: nam quicunque ab accusando desistunt, exceptis minoribus, & mulieribus, in senatusconsultum Turpillianum inci- dunt

(17) De Franchis decis. 284. num. 2. Ursillus ad Afflict. decis. 356. num. 5.

(18) Caravita ad Rit. M. C. 71. num. 2.

dunt (19). *Si incestus crimen per ignorantiam juris committunt*; quod a Papiniano traditum est, si incestum jure civili prohibitum admiserint (20). *Si instrumenta edenda per fragilitatem sexus ignorantes non edant* ; quod juri Romano quoque consentaneum est (21). Et denique si ex intercessione solverint ignorantes se senatusconsulti Vellejani tutas auxilio, ut jure Romano quoque statutum est (22). Et generaliter , quibus ex caussis jure Romano mulieribus succurritur ; eis praecipit esse succurrendum , veluti si testamenti tabulas contra senatusconsultum Silanianum aperuerint, si album praetoris ob ignorantiam, & rusticitatem corruperint , vel in jus vocatae non iverint (23). Quare Paulus scribit: *Fere in omnibus poenalibus judiciis & aetati, & imprudentiae succurritur* (24).

Una duntaxat in caussa in contrahendo eis in integrum restitutionem pollicetur , *si forte per circumventionem , aut fragilitatem sexus immoderatam dotem ultra patrimonium , vel ultra*

(19) L. 1. §. 10. in fin. D. ad S. C. Turpill.

(20) L. si adulterium 38. §. 2. D. ad L. Jul. de adult.

(21) L. 1. §. ult. D. de edend.

(22) L. qui exceptione 40. D. de condict. indeb.

(23) L. 3. §. 22. D. ad S. C. Silanian. L. 7. §. 4. D. de jurisdict. L. 2. §. 1. D. de in jus vocand.

(24) L. fere 108. D. de reg. jur.

ultra vires patrimonii sui promisisse, vel constituisse probentur. Atque hac quoque in parte jus Romanum recentare voluit Fridericus, Quo jure quum plerique interpretes perperam existimarent mulieribus praesto esse in integrum restitutionem, quae immodicam dotem, scilicet totum patrimonium, vel ultra patrimonii vires maritis constituissent; id Fridericus, quasi esset jure Romano constitutum, confirmavit. At satis a nobis alibi demonstratum est mulieribus nullam jure civili hac in specie proditam esse in integrum restitutionem, nisi minores fuerint: immo vix esse, ut nostris moribus eam ob caussam in integrum restitutio postuletur: quum olim ea potissimum de caussa mulieres restitui desiderarent, quod adventitiae dotes se in matrimonio mortuis maritorum lucro cederent (25).

CAPUT VIII.

De Baronibus.

Est & alia personarum divisio, ut praesens fert aetas, quod hominum quidam baronibus, quidam uni regi recta subsint; idcirco hoc loco de baronibus dicendum. *Baronis*

(25) Consulite meam tractationem de rest. in integ. lib. 1. cap. 6.

ronis nomen plerique apud Ciceronem occurrere, & fatuum, ac stolidum denotare putant: sed Alciatus existimat hoc verbum aut latinum non esse, aut pro *berone* dici. *Berones* vero, seu *Verones* populos esse Hispaniae, qui principibus viris solebant apparere; idcirco *verones*, seu *berones* interdum denotasse discipulos, & sectatores philosophorum (1). Hinc factum conjicio, ut posteriori aetate, qui feuda tenerent, *barones* dicerentur, quasi asseclae, & sectatores dominorum non secus, ac in consuetudinibus feudorum *Vassi*, *Vassalli* & *Valvasores* dicuntur, quod ad valvas dominorum assidue debeant adesse.

Verum, quamvis baronum nomen denotet omnes feudorum a principe possessores, potissimum urbium, pagorum, & vicorum, in quibus sunt homines feudi, quos *vassallos* dicimus; tamen communiter nostri scriptores tradunt, quamvis aliquis urbem, aut pagum feudum habeat, atque in homines feudi jurisdictionem cum mero, & mixto imperio; tamen *baronem* non esse, nisi ei *baroniae* titulus a rege fuerit concessus: atque ita baronis dignitatem veluti mediam esse inter dignitatem comitis, atque alterius, qui feudum sine ullo titulo habeat (2). Idque primus do-

(1) Alciatus Lib. 5. parerg. cap. 16.
(2) Marinus Freccia lib.2. de subfeud. cap. quis dicatur baro.

docuit Andreas ab Aesernia (3), fortasse, quod in nostris constitutionibus saepissime videret mentionem fieri comitum, baronum, & militum, nec satis intelligeret, quinam essent comites, quinam barones, quinam milites; milites accepit pro feudatariis, qui nulla essent dignitate decorati, barones vero, quibus baronis dignitas esset concessa, quae minor esset, quam dignitas comitis.

Caeterum, ut verum sit ex consuetudine barones non esse, nisi quibus baronis titulus, & honor a principe sit tributus; tamen in nostris legibus, potissimum in nostris pragmaticis baronum nomine denotantur, quicunque urbes, & pagos cum hominibus feuda habent, atque in eos jurisdictionem, & merum, ac mixtum imperium; ideoque hos quoque hoc loco baronum nomine intelligemus.

De eorum baronum juribus aliqua hic dicenda sunt. Et nostri forenses pleraque tribuunt baronibus jura, quae nulla lege, aut ratione illis queunt defendi. Sed quum barones feuda ex principis concessione habeant; hinc generalem statuo regulam barones ea sibi jura posse vindicare, quae a principe nominatim eis fuerint concessa, aut legitima praescriptione quaesita; nisi, quod quaedam sunt jura, quae omnibus baronibus ab

 ipsa

(3) Cap. 1. §. similiter de capit. qui cur. vend. in vit.

ipsa lege tributa sunt. Horum primum est, ut barones queant jusjurandum ab hominibus feudi exigere se se baronem non offensuros, immo defensuros, eique debitum honorem, atque obsequium praestaturos, & fideles futuros. Id tamen sacramentum sine regia jussione, regiisque litteris, quas litteras *adsecurationis* nuncupant, exigere non possunt, poena proposita amissionis feudi, atque publicationis omnium bonorum (4).

Alterum jus, quod omnibus baronibus lege tributum est, qui feudi jure urbes, pagos, & vicos possident, est certi subsidii quibusdam ex caussis exactio, quod *adjutorium* appellant. Olim barones ex quavis indigentia pro libitu hominibus feudi praestationes imperabant. Quod quum nimis grave esse videretur, & majestatis juribus officere, quum ad majestatis jura pertineat praestationes subditis imperare; ideo Guillelmus I. caussas definivit, ex quibus liceret baronibus ejusmodi praestationes exigere, scilicet I. pro redimendo barone, qui dum regi militabat, ab hostibus captus est. II. pro militia filii, vel fratris. III. pro collocanda in matrimonium filia, vel sorore. IV. pro emendo fundo, qui principi, vel exercitui usui sit futurus. Quod

(4) Const. domini a vassallis, & Const. comite, vel barone, Marinus Freccia lib. 2. de subfeud. auct. 4.

Quod si baro sit ecclesiae praelatus, poterit etiam praestationem exigere pro sua consecratione: pro viatico, si quidem ad concilium ire debeat, vel ad principem ab eo accitus, vel ab eo aliquo missus: & si quid pro exercitu eum impendere oportuerit (5).

Cur vero licuerit baroni pro militia filii, vel fratris subsidium ab hominibus feudi exigere, non satis explicant interpretes. Quidam putant, quod baro maximos sumtus in coenas ea re esset facturus: sed potius videtur dicendum, quod non minimo sumtu baroni esset opus, ut novo militi provideret de equis, armis, & armatis hominibus, quos *valettos* dicebant, deque annuo reditu, quo posset, ut militem decebat, vivere. Quod Marino Frecciae quodammodo suboluit (6).

Sed quum hodie ejusmodi militiae ab usu recesserint, extra usum est ex hac caussa subsidii praestatio; quemadmodum vix accidere potest, ut pro redimendo barone, vel pro emendo fundo praestatio aliqua exigatur. Eam duntaxat praestationem solent barones exigere, quum filia, vel soror nuptui traditur: immo ex prudentum interpretatione, quum neptis ex filio primogenito: nec non quum filia, soror, vel neptis religiosam vitam profitetur. Praestatio vero est carolinorum

(5) Const. quamplurium, & Const. comitibus.
(6) De subf. lib. 2. auct. 2.

rum quinque a singulis familiis, *focularia* nuncupant, quum superiores personae in matrimonium collocantur: assium vigintiquinque cum religiosam vitam profitentur (7).

Tertium jus, quod omnibus baronibus jure competit, est, ut cives, immo primi cives censeantur ejus urbis, vel pagi, quem feudi jure possident, ideoque pascuis, silvis, nemoribus, & bonis universitatis, uti caeteri cives uti possunt (8); modo moderate utantur, hoc est quemadmodum singuli divites ejus urbis, vel pagi cives utuntur (9). Et quoniam baro primus civis censetur, ideo non secus, ac caeteri cives, operam dare potest, ut bona universitatis recte administrentur, atque ut administratores finito officio rationes rite reddant (10).

Praeterea illud juris omnibus baronibus vulgo tribuunt, ut possit unum ex civibus quaestorem, seu arcarium, quem *aerarium* dicunt, deligere, vel potius ab universitate petere, ut sibi quaestor, sive arcarius offeratur, qui re-

(7) Marinus Freccia d. lib. 2. de subf. auct. 2. Andreas ab Aesernia, & Afflictus ad d. Const. quamplurium, & de Franchis decis. 42. & 73.

(8) Prag. 12. de baron.

(9) Marinus Freccia lib. 2. de subf. auct. 46. Rovitus ad d. prag. 12. Minus recte Capiblancus putat baronem uti posse rebus universitatis, tanquam duos ditiores cives.

(10) Marinus Freccia de subf. lib. 2. auct. 18.

reditus, & fructus feudi colligat, atque adservet, cui baro justam praestet mercedem. Hunc tradunt, sola bona feudalia, quae in territorio sunt, procurare, eorumque fructus colligere, atque adservare debere: non vero bona allodialia baronis, nec feudalia, quae extra urbis, pagique territorium sunt (11). Sed ipse existimaverim id baroni minime esse permittendum, nisi id juris ei fuerit a principe concessum, aut legitima praescriptione quaesitum. Quoniam baroni non licet onera, aut servitia ab hominibus feudi exigere sine principis concessione (12).

Jurium vero, quae baronibus in feudorum concessione tribuuntur, praecipua sunt jurisdictio, & imperium. Jurisdictio est controversias cognoscendi, judicandi, & judicatum exsequendi potestas. Imperium vero est potestas armata, seu jus animadvertendi in facinorosos homines. Jurisdictio, & imperium apud Romanos nonnisi magistratibus ratione muneris tribuebantur. Sed apud nos, ut supra dictum est, feudi jure baronibus concessa sunt (13).

Verum ex superiori regula, neque jurisdi-

(11) Marinus Freccia lib. 2. de subf. auct. 37. Capycius decis. 118. de Marinis lib. 2. resol. cap. 35.

(12) Prag. 10. de baron.

(13) Prolus. hist. cap. 3. & 4.

dictionem, neque imperium baro sibi vindicare potest, nisi ei a principe fuerint concessa. Et quamvis Marinus Freccia existimet, si baroni feudi jure urbs, vel pagus fuerit concessus, tacite censeri jurisdictionem, non vero imperium ei tributum (14); tamen ipse puto, nisi nominatim jurisdictio baroni permissa sit a principe, ea uti non posse. Nam diserte Carolus V. vetuit, ne barones imperium, aut jurisdictionem sibi adserant, neque ea utantur, *nisi quatenus eis virtute suorum privilegiorum, vel legitima praescriptione liceat, scientes, qui secus fecerint, usurpatae jurisdictionis crimen incurrere* (15). Usurpatae vero jurisdictionis poena jure nostro est publicatio feudi (16); quamvis plerumque non soleat irrogari.

Adeo autem barones sine principis concessione nequeunt sibi jurisdictionem, & imperium vindicare, ut nequeant sine principis venia novas urbes, pagos, vel vicos exstruere, aut dirutos, & desertos aedificare. Id si fecerint, non modo privatione urbium, pagorum, vicorumque, qui exstructi sunt, multantur, adhuc si in feudali, vel privato fundo fuerint exstructi: sed etiam refectione omnium damnorum, quae fisco, vel vicinis universitatibus illata sunt,

At-

(14) Freccia lib. 2. de subf. auctor. 13.
(15) Pragm. 8. de Baron.
(16) Const. ea, quae ad speciale decus.

Atque ubi novae urbis, vici, aut pagi aedificandi licentia danda est, id faciendum est audito fisci patrono, atque omnibus iis, quorum interest (17).

Et quoniam barones iis possunt juribus uti, quae nominatim eis fuerint concessa, vel legitima praescriptione quaesita; hinc fit, ut si cui jurisdictio fuerit tributa, is nequeat imperium sibi vindicare, quam vulgo jurisdictionem criminalem appellant, quum imperium multum a jurisdictione distet. Immo si cui jurisdictio, & imperium fuerint concessa; non ideo jus cognoscendi de appellatione, quod secundarum caussarum dicunt, concessum intelligitur: uti & is, cui jus cognoscendi de appellatione permissum est, non idcirco censetur habere jus cognoscendi de secunda appellatione, quod vulgo dicitur tertiarum caussarum (18).

Praeterea si baroni jurisdictio, imperium, & cognitio de provocatione tributa fuerint; non ideo, quae jure singulari principi, aut Magnae Curiae, vel Regiis Audientiis reservata sunt, concessa intelliguntur; veluti jus cognoscendi de caussis viduarum, pupillorum, miserabiliumque personarum: jus animad-

(17) Pragm. 24. §. 16. de baron.

(18) Marinus Freccia lib.2. de subf. auctor. 13. & Afflictus ad d. Const. ea, quae ad speciale decus,

madvertendi in reos perduellionis, majestatis, falsae monetae, & similes (19).

Barones, qui jurisdictione, & imperio utuntur, sibi jus quoque adserunt criminum poenas commutandi, easque remittendi, hoc est, ubi legitima poena corporalis esset, veluti ultimum supplicium, membri mutilatio, publicum opus, puta triremium; eam in pecuniariam permutandi, vel plane remittendi, quod vulgo dicunt jus *aggratiandi*. Atque utrumque hoc jus in imperio, vel saltem in litteris, quas vocant *arbitrarias*, & quas sibi a Roberto rege concessas putant, contineri contendunt. Nugae: sed usu comprobatae. Verum eo jure barones uti ante sententiam debent: quoniam, ubi rei fuerint judicis sententia condemnati, nequit amplius poena commutari, vel remitti (20). Quare non licet judici in sententia ferenda poenae commutandae, vel remittendae potestatem sibi, aut baroni reservare: quod si fecerit centussium mille poena multatur (21).

Verum utroque hoc jure barones, eorumque judices in homicidiis, aliisque gravioribus delictis uti nequeunt, ne videantur abuti in publicae tranquillitatis detrimentum, Im-

(19) De Franchis decis. 275.
(20) De Franchis decis. 350.
(21) Prag. 21. de baron.

Immo barones, qui his juribus abutuntur merito privari possunt (22).

Jurisdictionem vero, & imperium ipsi barones exercere non possunt: neque id eis unquam apud nos fuit permissum: nam quum primum jurisdictio illis fuit tributa, id eis datum fuit, ut bajulum, & judicem constituerent, qui jurisdictioni praeessent (23). Idcirco barones debent magistratus creare, qui de pecuniariis caussis, & de criminibus cognoscant, quorum munus annuum sit, quique post annum sui muneris rationem reddere debent coram iis, qui ab universitatis administratoribus fuerint delecti, quod dicunt *syndicatui parere* (24).

Hos magistratus intra annum nequeunt barones removere, quum eorum munus annuum esse debeat, nec liceat baroni magistratum constituere, quem, prout ei libuerit, removeat (25). Et quemadmodum nequit baro ante annum magistratum ab officio removere, ita nequit caussas ab eo avocare, atque alii judici delegare, ne ea ratione

(22) Pragm.6. de baron. Collect. reg. lit. par.2, tit. 89. num, 10. & 14.

(23) Const. de quaestionibus.

(24) Prag. 5. de baronibus, Freccia lib.2. de subf. auctor. 13.

(25) Dict, pragm, 5. de baron, & de Franchis decis. 409.

ne legi fraudem faciat (26).

Quumque ad baronem pertineat magistratum constituere, qui jus dicat & crimina coërceat, qui gubernator nuncupatur; hinc fit, ut eo absente ad baronem pertineat alium in ejus locum sufficere, qui locumtenens appellatur, qui non secus, ac gubernator civis esse non potest, nisi brevis sit gubernatoris absentia, aut angustus pagus, cui praeesse debeat (27).

Caeterum baro gubernatoris munus vendere, aut locare nullo modo potest; ideoque nil a gubernatore exigere potest, ne sportularum quidem nomine, quae ei, qui a secretis est, praestentur, pro collati muneris litteris, quas vulgo *patentes* appellant. Immo baro gubernatori menstruum honorarium debet pro modo urbis, aut pagi, cui praeest: nec ab ea petitione repellitur, si honorario renuntiaverit, vel si fassus fuerit illud recepisse, nisi de solutione constet ex apocha, cui duo testes, & notarius subscripserint (28).

Quamvis autem litigantes queant non sui judicis jurisdictionem prorogare: in consentientes enim cujusvis judicis jurisdictio est(29); ta-

(26) Capiblancus ad prag.3. de baron. num.199. Dissentit immerito Rovitus ad prag. 2. de susp.off.

(27) De Franchis decis. 98.

(28) Prag. 4. & 23. de baron. Collect. reg. lit. part. 2. tit. 89. num. 14.

(29) L. 1. C. de jurisd. omn. jud.

tamen ii, qui baroni ſubſunt, nequeunt in alium, quam baronis judicem conſentire: &, ſi conſentiant, poteſt baro cauſſae remiſſionem poſtulare (30). Ejuſque rei ratio eſt, quod judicis nihil interſit, ſi alium judicem litigatores adeant: baronis vero multum intereſt, ne homines feudi alios adeant judices.

Praeter juriſdictionem, & imperium, quae fere omnibus baronibus competunt, ſunt quaedam jura, quae non omnibus baronibus tribuuntur, ſed iis duntaxat, quibus a principe conceſſa ſunt, vel legitima praeſcriptione quaeſita. Horum in numero principio ſunt *angariae*, & *parangariae*. Sunt autem angariae, & parangariae imperatae praeſtationes jumentorum, ac plauſtrorum, curruum, operarumque, angariae quidem, qua curſus publicus diſpoſitus eſt, parangariae vero alioverſum, ſeu per viam, in qua curſus publicus non eſt (31). Angari enim Perſico vocabulo dicebantur nuncii, vel tabellarii, qui ex ſucceſſione litteras ferebant. Sed apud forenſes ſcriptores angariae dicuntur ſervitia, ſeu operae, quas homines feudi baroni praeſtant certa ſibi ſoluta mercede. Parangariae vero dicuntur ſervitia, & operae, quas homines feudi ſine ulla mercede ba-

P

(30) Capycius deciſ. 9.
(31) Cujacius ad paratitl. C. de curſ. publ.

baroni praestare tenentur (32).

Et quoniam hujusmodi servitia, & operas subditis imponere ad jura majestatis pertinet, nec baro potest sibi jus in feudo vindicare, quod non fuerit ei a principe concessum; hinc fit, ut nequeat angarias, & parangarias ab hominibus feudi sine regia concessione exigere (33). Immo si baroni fuerit feudum concessum cum angariis, & parangariis, ea re non censetur baroni jus angariarum, & parangariarum exigendarum tributum: sed duntaxat easdem angarias, & parangarias esse baroni permissas, quae tempore concessionis aut justo titulo, aut legitima praescriptione exigebantur; adhuc si ea concessio ab ipso principe processerit: potissimum, *quod ex clausula de antiqua hujus regni citerioris Siciliae consuetudine, & stilo procedat*, ut Carolus V. declaravit (34).

Praeterea baronibus pleraque vectigalia, & exactiones competere solent, veluti jus decimae exigendae ex fructibus, quae ab hominibus feudi colliguntur, certaeque pecuniae exigendae pro immissione, vel extractione mercium, vel pro transvectione per certa loca; quae jura diversis nominibus nuncupantur, nempe *jus plateae*, *jus exiturae*, *jus pas-*

(32) Afflictus ad Const. prosequentes.
(33) Pragm. 10. de baron.
(34) Prag. 16. de baron.

passagii, *vel passus &c.* Quae omnia quum ad jura majestatis referantur, quumque baro nequeat sibi adserere, nisi, quod a principe ei fuerit concessum; nequit ea sibi vindicare, nisi ex regia concessione, vel ex legitima praescriptione (35).

Huc quoque referri potest jus locandi pascua universitatis, vel privatorum pro certa mercede, quod *jus fidae*, *& diffidae* dicunt, hoc est jus permittendi pro certa mercede, ut animalia in fundos universitatis, vel privatorum immittantur, & jus certae poenae exigendae ab iis, qui nulla soluta mercede immittunt. De quo jure pariter ex concessione, aut ex legitima praescriptione erit dijudicandum. Atque hinc quoque ejus quaestionis definitio pendet, utrum baroni liceat permittere, ut animalia pascantur in fundis privatorum post collectas segetes, eoque nomine certam pecuniam exigere: atque eos, qui sine baronis licentia immiserint poena multare (36). Nam dicemus id baroni non licere, nisi ei fuerit a principe concessum, vel legitima praescriptione permissum. Modo meminerimus domino semper licitum esse animalia in proprio fundo pascere, nec baronem posse poenam a domino exigere, quod

 sine

(35) Prag. 10. de baron.

(36) Quod jus baronibus tribuit Rovitus ad Prag. 1. de offic. bajul.

fine sua ipsius licentia in proprium fundum animalia immiserit (37).

Simile est, quod plerique barones habent, jus venationis, & piscationis, quo prohibeant hominibus feudi venari, aut piscari, nisi de sua ipsius licentia certa soluta pecunia. Quod jus exercere nequeunr, nisi ex regia concessione, aut legitima praescriptione.

Similiter plerique barones jure utuntur, prohibendi hominibus feudi, ne panem, nisi in suis furnis coquant, ne frumenta, nisi in suis moletrinis, ne olivas, nisi in suis trapetis terant, ne hospites recipiant, nisi in suis hospitiis &c. Quae jura pariter quum ad jura majestatis pertineant, ea baro exercere non potest, nisi sibi a principe nominatim fuerint concessa, aut ea legitima praescriptione quaesiverit: nec satis est baroni feudum fuisse concessum cum furnis, moletrinis, trapetis &c. nisi nominatim jus quoque prohibendi ei fuerit permissum (38).

Quumque dubitatum fuisset, num saltem id juris baroni esset tribuendum, ut homines feudi cogeret suis potius furnis, moletrinis, trapetis, cauponis, hospitiis uti, quam alienis, quum aeque commode baronis, quam alie-

(37) Collect. reg. litt. par. 2. tit. 89. num. 9.

(38) Prag. 14. de baron. Afflictus dec. 388. Capycius dec. 209. Grammaticus dec. 67, & de Franchis dec. 158.

alienis uti possent ; & plerique scriptores adfirmassent : immo Sacrum Consilium in eam sententiam judicasset ; sapientissimus noster rex id nequaquam probavit, ne ea ratione hominum feudi libertas imminuatur, & jus prohibendi inducatur non sine regii, & privatorum juris detrimento (39).

Quum autem dicimus superiora jura legitima praescriptione baronibus quaeri posse ; legitimam praescriptionem intelligimus centenariam, vel immemorabilem, quae sola ad jura majestatis adquirenda prodest (40). Atque, ubi de jure prohibendi quaeritur, centenaria praescriptio non incipit, nisi ex quo baro homines feudi alienis furnis, moletrinis, trapetis &c. uti prohibuit. Praescriptio enim in rebus incorporalibus, qualia sunt hujusmodi jura, sine usu procedere nequit : usus vero juris prohibendi in prohibitione consistit. Ideoque, si vel maxime homines feudi semper furnis, moletrinis &c. baronis usi sint, nec unquam usus venerit, ut baro eos alienis uti prohibuerit ; nunquam jure prohibendi censetur usus ; idcirco nequit id juris sibi ex centenaria, quae nulla est, praescriptione vindi-

(39) Collect. reg. litt. par. 2. tit. 89. num. 13. & suppl. 2. par. tit. 41. num. 2.

(40) Const. quadragenalem, de prorog. praescript.

dicare. Nec contraria Roviti opinio praescriptionem sine ulla prohibitione admittentis, defendi ullo modo potest (41). Hinc non facile ex sola praescriptione secundum barones erit judicandum.

Quod si baro furnos, moletrinas, trapeta, hospitia, diversoria &c. habeat sine ullo prohibendi jure, poterit pro arbitrio mercedem exigere, quin & eam pro libitu augere, quum unusquisque sit rei suae moderator, & arbiter. Quod si baroni jus quoque competat prohibendi, ne homines feudi alienis furnis, pistrinis, diversoriis utantur; tunc nequit pro suorum usu mercedem pro arbitrio statuere, aut, ut ei libitum, augere, ne id cum alieno damno faciat (42): sed debet eam mercedem exigere, quae consuetudine definita est, de qua si minus liqueat, ab judice erit definienda habita ratione usurarum trientium valoris hujusmodi corporum, & annuorum sumtuum, qui pro iis tuendis necessarii sunt, ut sanctissimus noster rex de mercede exigenda constituit pro terendis olivis in suis ipsius Paupisiorum trapetis (43).

Praeter superiora jura quidam barones sibi

(41) Ad d. Prag. 14. de baron.
(42) Rovitus ad d. Prag. 14. de baron.
(43) Collect. reg. litt. suppl. par. 2. tit. 41. num. 3.

bi vindicabant jus permittendi matrimonii, ne scilicet mulieres possent sine sua ipsorum licentia matrimonium contrahere, & pro ea licentia certam pecuniam exigebant; quod *jus maritagii*, seu *primae noctis* nuncupabatur. Quod apud plerosque male audivit, quasi eo jure quid inhonesti contineretur. Sed Carolus V. id jus generatim abolevit permittens hominibus feudi libere, & sine baronum licentia matrimonia inire (44).

Similiter quidam barones jus sibi adserebant exigendi ab universitate, vel ab hominibus feudi sollemnioribus quibusdam diebus certa munera, quae *strenas*, & *xenia* nuncupabant, quaeque olim *salutem*, seu *salutes* dixere. Sed hujusmodi jura prudentissimus noster rex pariter abolevit (45).

Ad haec quidam barones sibi vindicabant jus eligendi administratores universitatis, vel saltem ex pluribus ab universitate nominatis eos deligendi, qui universitatem essent administraturi. Sed hoc quoque jus a nostris pragmaticis baronibus fuit ademtum, permissumque civibus libere universitatis administratores eligere (46). Immo nequeunt universitatis administratorum confirmandorum jus usurpare, nisi id nominatim in feudi con-

(44) Prag. 9. de baron.
(45) Collect. reg. litt. par. 2. tit. 89. num. 16.
(46) Prag. 2. de adminift. univ.

cessione ipsis fuerit permissum, ut ne immemorabilis, aut centenaria possessio eos possit juvare, quum id, vel metu, vel reverentia a civibus factitatum censeri debeat (47).

Praeterea pleraque alia jura barones ex nostrorum scriptorum sententia sibi vindicabant, quae merito nostris legibus abolita sunt: Et quidem principio barones, ubi usus vel nerat, homines feudi cogebant, ut pro se ipsi fidejuberent; quod a Carolo V. vetitum est, atque eae fidejussiones irritae pronuntiatae sunt (48).

Deinde barones id juris sibi tribuebant, ut homines feudi libere ne possent fructus, caeteraque, quae ex fundis suis proveniebant, vendere, vel emere: etenim barones sibi jus esse dicebant prohibere hominibus feudi, ne aliena potius emerent, quam sua: item, ne aliis potius venderent, quam sibi: & denique, ne fructus proprios antea venderent, quam barones suos vendidissent; idque argumento ejus, quod de fisco a Friderico II. cautum reperitur (49). At haec omnia jura, & Caroli V. & nostri sanctissimi regis constitutionibus baronibus ademta sunt.

(47) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 89. num. 19. & supp. par. 2. tit. 41. num. 4.

(48) Prag. 11. de baron.

(49) Const. magistris procuratoribus de locat. deman.

sunt (50). Illud duntaxat baroni permittitur, ut praeferatur in emtione rerum venalium, quae sibi, suaeque familiae necessariae sunt (51).

Denique illud de baronibus omittendum non est monere, non licere eis conducere bona, & vectigalia universitatis (52). Quemadmodum non licet eis subterraneos carceres, ne pro custodia quidem reorum, habere (53). Immo ut debitores ex pecuniariis caussis honestius detineantur, licet universitati commodiores carceres exstruere.

Quod si barones jura, quae sibi minime competunt, usurpent, vel ea, quae ipsis vetantur, factitent, injuriam hominibus feudi inferunt, quae *gravamina* vulgo nuncupantur: deque ea re cognitio ad Sacrum Consilium pertinet, cujus erit non modo jubere, ut barones ab ejusmodi injuriis inferendis abstineant: sed etiam eos meritis poenis plectere, si atrocior injuria hominibus feudi illata esse dicatur (54).

(50) Prag. 1. 2. 13. 15. & 20. de baron. Collect. reg. litt. par. 2. tit. 89. num. 6. 8. 12.

(51) Dict. Pragm. 15. de baron.

(52) Prag. 24. §. 17. de baron.

(53) Prag. 19. de baron.

(54) Collect. reg. litt. par. 2. tit. 85. num. 8. & tit. 89. num. 18.

CAPUT IX.

De Clericis, & Monachis.

POstrema personarum divisio jus sacrum respicit. Etenim hominum quidam clerici sunt, quidam laici, quidam denique tertium genus monachi. Clerici sunt, qui sacris ministeriis addicti sunt. Laici, qui a sacris ministeriis remoti temporalibus vacant negotiis. Monachi denique, qui a rebus temporalibus, & communi vita secreti orationibus, & poenitentiae operam dant, seu sacris ministeriis addicti sint, seu non sint. Quamvis autem tractatio de clericis, & monachis ad jus pontificium potissimum pertineat; tamen, quia pleraque de iis nostris legibus cauta sunt, abs re non erit aliqua hoc loco de iis monere.

Atque initio quidem is, qui in clerum adsciscì desiderat, oportet decimo anno expleto veniam ab episcopo impetret vestem clericalem induere, tum triennium integrum de episcopi licentia alicui ecclesiae inservire, & litterarum studio vacare debet. Quo facto potest ab episcopo tonderi, seu, ut ajunt, *clericalem tonsuram suscipere*. Ea suscepta, ut clericum decet, vivere debet, tonsura, & clericali veste indutus incedere, & studiis operam dare: & de ea re quotannis

nis episcopum docere, atque ab eo litteras accipere, quibus testetur eum, ut clericum decebat, vixisse; ut clericorum privilegiis uti possit, atque ad reliquas ordinationes admitti: alioqui neque clericorum privilegia ei tribuuntur, neque ad alios ordines erit admittendus. Ab hac generali regula excipiuntur, qui ad ordinationem obstricti sunt, quos *arctatos* appellant, quod ad eos beneficium aliquod ecclesiasticum, vel *cappellania* perpetua, quam vocant, ex fundatione pertineat; qui possunt sine hac triennii probatione clericalem tonsuram accipere.

Ad haec, ut quis possit in clerum adlegi, necesse est, ut ecclesiasticum habeat beneficium: vel si ecclesiae necessitas, vel utilitas id exigat, perpetuam saltem pensionem, aut patrimonium, unde commode se queat exhibere secundum cujusque dioeceseos taxationem; modo annuus patrimonii reditus neque a summa centussium viginti quatuor deficiat, neque summam centussium quadraginta excedat. Beneficii vero ecclesiastici, vel cappellaniae perpetuae annuum reditum deductis oneribus sufficit esse medietatem ejus summae, quae in unaquaque dioecesi pro patrimonio definita est (1).

Ubi vero sede vacante aliqui ad ordines admitti desiderant, Concilium Tridentinum id

(1) Concordatum cap. 4.

id permisit, modo ad ordines obligati firmatione beneficii accepti, vel accipiendi, quos *arctatos* synodus nuncupat, vel modo annus a morte episcopi lapsus fuerit (2). At id conventione inita inter Carolum Borbonium & Benedictum XIV. moderatum est, ut in priori casu necessarius sit Capituli consensus: in altero vero Sacrae Congregationis Concilii venia.

Poenaque in eadem conventione statuta est in eos, qui praeter superiorem formam ordines susceperint, aut contulerint, litterasque dimissorias pro ordinatione dederint: in clericum scilicet perpetuae suspensionis ab ordine contra superiorem regulam suscepto: in episcopum vero, qui ordines contulit, aut litteras dimissorias dedit, suspensionis per annum a *pontificalibus*: sin vero inferior praelatus id fecerit, qui *pontificalibus* utitur, poena suspensionis a *pontificalibus* perpetua est. Quod si is litteras dimissorias dederit, qui *pontificialibus* minime utitur, perpetua suspensione ab ordine, omnique officio plectitur (3). Quae poena in clericum latae sententiae: in eum vero qui ordines contulit, vel litteras dimissorias dedit, ferendae sententiae esse videtur. Idque de iis, qui contra superiorem regulam in clerum

(2) Tridentinum sess. 7. cap. 10. de refor.
(3) Dict. cap. 4. Concord.

rum adſcripti ſunt, regiis litteris fuit declaratum (4).

Eos vero ad ordinationem obſtrictos, ſeu *arctatos*, ut ſede vacante a Capitulo queant litteras dimiſſorias obtinere, plerique ſacrorum canonum interpretes cenſeri putant, non modo quibus beneficium eccleſiaſticum a fundatore deſtinatum eſt, ſeu qui habent jus patronatus *paſſivum*: ſed & quicunque a patrono laico nominati, ſeu, ut ajunt, *praeſentati* ſunt (5). Sed Tribunal Mixtum cenſuit eos ad ordinationem *arctatos* exiſtimandos eſſe, ut poſſint ſine probatione triennii in clerum adlegi, qui a patrono laico, ad beneficium eccleſiaſticum, vel ad cappellaniam perpetuam nominati ſunt, modo ipſi patrono ſanguine conjuncti ſint (6).

De iis autem, quibus nullum eſt eccleſiaſticum beneficium, ſed patrimonium habent, quo commode ſe queunt exhibere, illud tenendum eſt, in clerum non eſſe adſciſcendos, niſi manifeſta id exigat eccleſiae neceſſitas, vel utilitas. Idque Concilio Tridentino fuit conſtitutum (7), & apud nos pactis conventis inter Carolum Borbonium, & Benedictum XIV. & noviſſime regiis litteris fuit con-

(4) Collect. reg. litt. par. 1. tit. 11. num. 1.
(5) Gallemart ad Trident. ſeſſ. 7. cap. 10. de ref.
(6) Collect. reg. litt. par. 1. ſupp. 1. num. 1.
(7) Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 2. de refor.

confirmatum (8). Ad haec qui clericus fieri desiderat patrimonium in patria, non alibi habere debet, ne ejus ordinatio iis universitatibus oneri sit, quibus clericus non sit futurus adjumento (9).

Praeterea clerici fieri non possunt unigenae, quibus ne religiosam quidem vitam profiteri permissum est, ne familiae intereant: nec ii, quorum domi alii sacerdotes sunt: nec ii, qui in urbe, vel pago superflui pro numero civium sunt futuri: ideoque clerici seu saeculares, seu regulares centesimi civium fieri possunt, non plures; & denique ad ordinationem admitti non debent, quibus patrimonio assignato aequalis bonorum portio fratribus non sit remansura; quos si episcopus ad ordinationem admiserit, de suo debebit fratribus damna reparare (10).

Haec de clericorum ordinatione: videamus de juribus, & privilegiis clericorum, & monachorum. Et sane, quamvis clerici, & monachi, quinimmo & ipsi episcopi non desinant cives esse, ut caeteri, & ejusdem reipublicae pars; quo fit, ut summae potestati subsint, atque eisdem legibus vivere, eisdemque juribus, quibus caeteri cives, uti debeant; ta-

(8) Concordatum cap. 4. §. 2. & Collect. reg. litt. par. 1. tit. 11. num. 4.

(9) Collect. reg. litt. par. 1. tit. 11. num. 3.

(10) Collect. reg. litt. par. 1. tit. 11. num. 2. 12. & 14.

tamen & ob religionis reverentiam, atque ut possint expeditius orationi, divinisque officiis vacare, principes ipsis a publicis muneribus, atque a publicorum magistratuum jurisdictione exemtionem: eorum bonis a tributis, & publicis praestationibus immunitatem indulsere; de qua re aliqua hoc loco dicenda sunt.

Et quidem principio clerici a personalibus muneribus exemti sunt, cujusmodi sunt militia, judicandi munus, tutela, cura, publicarum rerum, vel universitatum administratio, atque his similia. Id jure Romano cautum est (11): & nostris legibus confirmatum. Nam primo clericis, & monachis vetitum est militiae nomen dare (12). Deinde magistratu fungi, aut magistratibus adsidere non possunt: & si contra fecerint omnium bonorum publicatione multantur (13). Quod si barones clericos, vel monachos, adhuc ordinis Hierosolymitani juri dicundo praefecerint, poena centussium decem millium plectuntur (14). Neque iis universitatum administratio, aut curiarum, aliarumque publicarum rerum cura committi potest (15). Nec eis

(11) V. passim in tit. C. de episc. & cler.
(12) Prag. 6. §. 5. de re milit.
(13) Const. clerici, & Cap. regn. 159.
(14) Pragm. un. de ecclesiast. pers.
(15) Collect. reg. litt. par. 1. tit. 47. num. 2. & 7.

eis licet baronum, aliarumque divitum personarum negotia procurare, seu procuratores, *agentes* appellant, fieri: immo barones, qui clericos procuratores, seu *agentes* creaverint, puniendi sunt (16).

Clerici quoque, & monachi a munere tabellionis, seu notarii arceantur (17): uti etiam a munere aestimatorum. Clerici enim, & monachi nequeunt seu res soli, seu mobiles, seu praediorum fructus aestimare: atque ab iis facta aestimatio nullius momenti est, cujus neque in judicio, neque extra judicium ratio haberi potest. (18)

Denique clerici, & monachi nequeunt apud publicos magistratus pro aliis postulare, aut alienis litibus instare: clericis vero permissum est suas ipsorum, suorumque, vel ecclesiae, pupillorum, viduarum, miserabiliumque personarum causas, adhuc apud publicos magistratus tueri, modo id gratis faciant; quemadmodum etiam clericis licet petentibus consilium dare, litigatorum jura scripto defendere, & eorum petitiones, & responsiones domi dictare. (19)

Deinde clerici, & monachi a publicorum ma-

(16) Dict. Pragm. un. de ecclesiast. pers.
(17) Const. instrumentorum robur.
(18) Collect. reg. litt. par. 1. tit. 47. num. 5.
(19) Collect. reg. litt. par. 1. tit. 47. num. 3. 6. 8. & 11.

magistratuum jurisdictione exemti sunt. Et quidem jure Justinianeo ea exemtio in pecuniariis caussis clericis, & monachis simpliciter tributa est, ne forensibus tricis implicati ab oratione, & sacris ministeriis distrahantur: in caussis vero criminum accusatori permissum est adversus clericos, vel monachos seu apud publicum magistratum, seu apud episcopum accusationem instituere (20).

Sed apud nos, ubi Langobardi dominari coepere, nulla clericis, & monachis permissa est exemtio a jurisdictione, atque imperio publicorum magistratuum; quod ex Astolfi lege satis intelligere licet, in qua de abbatibus, custodibus, & praepositis, qui apud publicos judices conveniebantur, mentio occurrit (21): atque ex controversia, quae inter Aretinum, & Senarum episcopum primum coram comite palatii, tum coram missis regiis Luitprando, atque Astolfo regibus tractata fuit (22). Primus Carolus Magnus aliquam clericis, & monachis exemtionem concessit: etenim primo constituit, ne caussae episcoporum, & abbatum, uti & comitum coram aliis judicibus tractarentur, quam coram rege, vel misso regio, ut ne co-

 mes

(20) Novella 83. & Novell. 123. cap. 21.
(21) L. L. lib. 2. tit. 56. L. 18.
(22) Muratorius antiquit. Ital. diss. 44. & 74.

mes quidem palatii sine regia jussione de horum caussis posset judicare. Quanquam id videtur Carolus statuisse non tam episcoporum, & abbatum, comitumque gratia, quam eorum, qui cum his litigarent, *ne propter hoc*, ut is loquitur, *pauperum, & minus potentum justitiae remanerent* (23). Deinde vetuit abbates, presbyteros, & clericos ad publica judicia trahi, vel a publicis judicibus distringi, hoc est eorum personas ad publicos magistratus duci, aut vocari, aliave ratione vim eis fieri: jussitque eos, qui de ejusmodi personis quererentur, episcopos adire, qui presbyteros, & clericos judicarent, & distringerent. Quod si quis vellet presbyterum, aut clericum de bonis sive propriis, sive ecclesiae convenire; magistratus actorem ad episcopum remittebat, ut rem per advocatum amice componeret: quod ni factum esset, lis a publico magistratu erat examinanda audito episcopi advocato, qui presbyteri, vel clerici caussam tueretur (24).

Ita quidem in pecuniariis, atque in leviorum delictorum caussis; at de gravioribus criminibus presbyteri, & clerici, immo & ipsi episcopi a publicis magistratibus videntur fuisse coërciti. Quare idem Carolus Magnus cavit, *ut presbyter, qui sanctum chrisma dederit*

(23) L. L. lib. 2. tit. 46. L. 1. & 2.
(24) L. L. lib. 3. tit. 1. L. 11.

rit ad judicium subvertendum, postquam de gradu suo expulsus fuerit, manum amittat (25).

Atque id juris apud nos de clericorum, & monachorum exemtione a Caroli Magni aetate obtinuit; quod, ubi regnum ad Normannos pervenit, duplici constitutione a Guillelmo I. fuit confirmatum; quarum una statuitur presbyteros, & clericos de delictis non apud publicos judices, sed apud episcopos esse accusandos, atque ab iis puniendos: *excepto*, verba sunt constitutionis, *si de proditione aliquis fuerit appellatus, vel de alio magno hujusmodi maleficio, quod spectat ad majestatem nostram; volumus, & praecipimus, ut de hoc, quod spectat ad curiam nostram, in nostra curia judicetur* (26). Quibus verbis non solum perduellionis, & majestatis crimen intelligi puto, sed omnia graviora delicta, quorum de more ad publicos magistratus cognitio pertinebat: atque hoc ea verba denotare, de *alio magno maleficio ... quod spectat ad curiam nostram*, hoc est ad nostrae curiae, seu regiorum magistratuum cognitionem, quales erant justitiarii, & magister justitiarius.

Q 2 Al-

(25) L. L. lib. 3. tit. 27. L. un.

(26) Const. de personis clericorum. Hanc constitutionem auctor H. C. Lib. 13. cap. 1. & cap. 2. §. 1. Guillelmo I. tribuit: sed ipse Guillelmi II. esse existimo.

Altera vero jubet clericos de hereditate, vel quavis alia possessione, quam non habeant ab ecclesia, hoc est, quae non sit fundus ecclesiae, coram publico judice, in cujus territorio possessio sita sit, esse conveniendos, modo eorum personae ne capiantur, neve carcere includantur (27).

Idem fere confirmavit Fridericus II., qui jussit clericos, & religiosos, seu *petitorio*, seu *possessorio* judicio coram publicis magistratibus esse conveniendos, rei magis, quae petitur, quam personae, quae convenitur, qualitate spectata (28). Verum Fridericus ea constitutione videtur exemtionem clericis a Guillelmo tributam imminuisse: etenim is indistincte eos regiis magistratibus subjecit tam pro bonis propriis, quam pro fundis ecclesiae, quum Guillelmus, ubi de fundis ecclesiae quaestio esset, cognitionem publicis judicibus ademisset. Deinde quum Fridericus generatim permiserit petitoria, & possessoria judicia adversus clericos coram publicis magistratibus institui, videtur eosdem in omnibus, aut paene omnibus pecuniariis caussis regiorum magistratuum jurisdictioni subjecisse.

Hinc intelligimus ejusdem Friderici constitutionem anno 1220. promulgatam, qua ve-

(27) Const. si quis clericus.

(28) Const. de burgensaticis.

vetuit clericos, atque ecclesiasticas personas sive ob crimina, sive ob pecuniarias caussas ad saecularia trahi judicia (29); neque ad nos pertinuisse, neque apud nos obtinuisse, quum nobis lata non fuerit. Ea de caussa illam suo codici inseri noluit: sed potius inserendas curavit duas Guillelmi, & suam, quam postea ediderat, constitutionem.

At ubi regnum ad Carolum I. Andegavum pervenit, quum is illud Romani pontificis beneficio fuisset adeptus, ei maximopere addictus clericis plenissimam a regiorum magistratuum jurisdictione exemtionem indulsit. Quare Carolus II. filius ita cavit: *Item statuimus, quod clerici ad saecularia judicia non trahantur, nisi pro bonis feudalibus secundum conventionem habitam inter sanctam Romanam ecclesiam, & dominum patrem nostrum* (30). Hoc ipsum confirmatum fuit pactis conventis inter Benedictum XIV. & Carolum Borbonium regem, ut scilicet clerici, & monachi a publicis judiciis exemti sint tam in capitalibus, quam in pecuniariis caussis (31).

Ab hac generali regula, quod ad crimina attinet, excipiuntur I. clerici perduellionis, &

(29) Const. de statut. & consuet. contra libert. eccl. §. 4. unde desumta est Auth. statuimus C. de episc. & cler.

(30) Cap. item statuimus, quod clerici 94.

(31) Concord. cap. 3. num. 1.

& majestatis rei, quos solos vulgus scriptorum putat regiorum magistratuum jurisdictioni a Guillelmo I. subditos fuisse; quum potius, ut paulo ante dixi, quorumvis graviorum criminum, quae clerici admisissent, cognitionem eis permiserit. (32) II. Clerici locatae, vel conductae ad aliquem occidendum operae rei (*assassinium* vulgo nuncupant) quos si publicus magistratus ceperit, poterit in eos animadvertere; modo Tribunal Mixtum antea decreverit clericum *assassinii* reum esse, quam *sententiam declaratoriam super qualitate assassinii* appellant. Atque ea de caussa judex, qui clericum ejus criminis reum ceperit, debet judiciaria acta conficere, & Tribunali Mixto intra quadrimestre offerre (33). III. Clerici, qui vetitas merces emerint, vendiderintve, quas scilicet vendere ad regia jura pertinet: quique non soluto vectigali merces asportaverint, a publicis judicibus neque capiuntur, neque puniuntur: sed mercibus ipsis privantur. Quod si clerici ei rei operam dantes quid gravius admiserint, a publicis magistratibus poterunt puniri, uti olim sapientissimus noster rex constituit de presbytero, qui vetitum sal, quod vendebat, vi, & armis satellitibus eripuit

(32) Const. de personis.
(33) Concord. d. cap. 3. num. 3.

puit (34). IV. denique clerici graviorum criminum rei extra ordinem a nostro rege remitti solent, ut puniantur a Cappellano Majore de consilii sententia, quod ex adsessore, duobus consiliariis, judice Magnae Curiae Vicariae relatore, & fisci advocato constare superius dictum est.

Pecuniariae vero caussae, quarum cognitio ad regios judices pertinet, sunt I. feudales (35). II. Quum petitorio, vel possessorio judicio in rem agitur (36). Ad judicia in rem pertinet novi operis nuntiatio, & judicium προτιμησεως, seu congrui; quod utrumque ad laicos magistratus spectare regiis litteris cautum est (37). III. Caussae de ratiociniis administratae tutelae, curae, alteriusve publici muneris, aut bonorum, quae ad laicos pertinent, quovis modo administratorum (38). IV. Caussae de hereditatibus, hereditariorumque bonorum divisione, fideicommissis, aliisque, quae ex testamento, vel ex

 here-

(34) Concord. d. cap. 3. num. 4. & Collect. reg. lit. par. 1. sup. 1. tit. 67. num. 5.

(35) Dict. cap. item statuimus, quod clerici 94.

(36) Const. de burgensaticis, & Collect. reg. lit. par. 1. tit. 64. num. 13. & sup. 1. tit. 66. num. 15. 16. & 18.

(37) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 64. num. 4. & 7. & sup. 1. tit. 66. num. 11.

(38) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 64. num. 5. & sup. 1. tit. 66. num. 2. 8. & 14.

hereditate pendent : immo generatim, quum clerici uti heredes conveniuntur, ad publicos judices recte vocantur (39). V. Ex caussa negotiationis, & mercimonii, uti etiam ex litteris collybisticis, seu *cambii* clerici apud publicos magistratus conveniuntur (40). VI. Denique ubi clerici conveniendi sunt, ut mercedem iis, qui operas locarunt, aut pretium solvant rerum sibi venditarum, aut debitum a se contractum, vel ob similes caussas possunt publici judices adiri (41). Verum ubi a publico magistratu exsecutio in res, vel in personam clerici fuerit decreta, de mandato episcopi facienda est (*brachii impertitionem* appellant) quod ab eo nullo modo denegari, aut retardari potest (42).

Caeterum clerici non soli majores, sed etiam minores superiori fori exemtione utuntur, modo minores clerici, ut eos decet, vivant, & ea observent, quae eis praecipi superius dictum est. Monachi vero non modo, qui religiosam vitam professi sunt, sed etiam novitii, & quicunque religiosam vestem

(39) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 64. num. 11. & sup. 1. tit. 66. num. 5. & 19.

(40) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 64. num. 10. & 12. & sup. 1. tit. 66. num. 13.

(41) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 64. num. 6. & sup. 1. tit. 66. num. 19. 21. 22. & 25.

(42. Collect. reg. lit. par. 1. tit. 64. num. 2. & sup. 1. tit. 66. num. 23.

ſtem induuntur, & religioſis ſubſunt ſuperioribus (43).

Quod ſi dubitetur, utrum is, qui a publico magiſtratu captus eſt, vel apud eum de crimine accuſatus, aut de re pecuniaria conventus, clericus ſit, an non; ejus rei cognitio ad eumdem publicum magiſtratum, non ad epiſcopum pertinet (44). Etenim regiorum magiſtratuum in omnes, qui in territorio ſunt, jurisdictio eſt, niſi probentur exemti, quum omnis jurisdictio a principe proficiſcatur: potiſſimum, quod clericum eſſe, quid facti ſit, quod non praeſumitur, niſi probetur.

Majorem autem clericum eſſe, ſatis eſt litteris ordinationis oſtendere, quas *bullas* dicunt, quum omnes majores clerici fori privilegio utantur (45). Minorem vero clericum eſſe non ſufficit litteris ordinationis probare, niſi pariter oſtendatur, eum, ut oportebat, vixiſſe, atque omnia feciſſe, quae eum facere oportere ſupra dictum eſt, & litterae exhibeantur, quibus epiſcopus id teſtetur: nam minores clerici, qui vel habitum

(43) Concord. cap. 3. num. 1. & Trident. ſeſſ. 23. de refor. cap. 6.

(44) Rit. M. C. 65. & Collect. reg. lit. par. 1. tit. 59. num. 6. & ſup. 1. tit. 60. num. 10. & 11.

(45) Concord. d. cap. 3. num. 1. & Collect. reg. lit. par. 1. ſup. 1. tit. 64. num. 7.

tum clericis convenientem deferunt, vel, ut clericos decet, minime vivunt, aut ecclesiae non inserviunt, litterarumque studiis operam non dant, *ipso facto* clericorum privilegiis excidunt, adhuc si beneficium obtineant ecclesiasticum (46). Pactis enim conventis inter Benedictum XIV. & Carolum Borbonium, quod sacrorum cononum interpretes plerique docuere, & sacra Congregatio Concilii saepius definivit, minores clericos, qui beneficium eccclesiasticum habent, si vel maxime haud vivant, ut decet, clericorum privilegia retinere, donec sententia judicis & iis, & beneficio, fuerint privati (47); immutatum, atque emendatum est. Quod si de ea re quaestio inciderit, in iis tribunalibus, quae ex pluribus constant judicibus, examinanda erit, cujusmodi sunt Regiae Audientiae, Magna Curia Vicariae, & similia, a quibus ad Regalem Camaram S. Clarae provocatio est (48).

Clerici conjugati, qui unam, & virginem duxerunt, &,ut clericos oportet, vivunt, ex Bonifacii VIII. constitutione omnibus clericorum

(46) Concord. cap. 4. num. 7. & 8. & Collect. reg. lit. par. 1. tit. 59. num. 3. 4. 5. & 6. & sup. 1. tit. 64. num. 8. & 11.

(47) Gallemart ad Trid. sess. 23. cap. 6. de ref.

(48) Collect. reg. litt. par. 1. sup. 1. tit. 64. num. 10. & 11.

rum privilegiis utuntur (49). Attamen ea constitutio initio apud nos minime obtinuit; ideoque ii publicis suberant magistratibus (50): sed sequenti tempore usu recepta est; quare Ferdinandus I. Aragonius clericis conjugatis exemtionem a publicis judiciis tribuit (51). Sed tandem conventione inita inter Benedictum XIV. & Carolum Borbonium statutum est, ut ejusmodi clerici, qui de mandato episcopi alicui deserviunt ecclesiae, habitumque clericis convenientem induuntur, nec artem, aut professionem clericis indignam exercent, ac caetera, quae superius exposita sunt, observant; in caussis criminum a publicorum magistratuum jurisdictione exemti sint: in pecuniariis vero iis subsint; nisi quod eorum personae inconsulto episcopo capi non possunt (52).

Non soli clerici, sed etiam apparitores episcoporum, modo intra numerum sint, atque eorum nomina in Regiis Audientiis descripta sint: item *cancellarius*, sive *actorum magister* a publicorum magistratuum jurisdictione exemti sunt, quantum ad personae capturam, seu ob debita, seu ob delicta; modo ea crimina non sint, quae poenam

(49) Cap. un. de cler. conjug. in sext.
(50) Rit. M. C. item si aliquis 66.
(51) Pragm. 1. de cleric. seu diacon. silvat.
(52) Concord. d. cap. 3. num. 2.

nam mortis, vel triremium mereantur: nam horum cognitio ad regios, non baronum judices pertinet. A sententia vero episcopi vel ad Metropolitanum, vel ad Tribunal Mixtum licet provocare (53).

Denique illud juris clericis, & monachis tributum est, ut a tributis, vectigalibus, caeterisque praestationibus aliquam obtineant immunitatem. Et quidem jure Romano clerici ab extraordinariis muneribus, a censu capitis, atque a novis collationibus immunes fuere: minime vero ab ordinariis praestationibus pro bonis, quae possidebant (53).

At sub Langobardis clericos, & monachos vix aliqua immunitate, aut diverso a laicis jure usos crediderim, quum nulla immunitatis clericis tributae in eorum legibus mentio occurrat. Idcirco clerici, & monachi aeque, ac laici vectigalia solvebant, &, si quid esset fisco inferendum, conferebant. Hinc Carolus Magnus clericos ad pontium reparationem, aliaque publica opera etiam pignoribus captis compellendos jussit, ad operas vero minime esse cogendos (54). Verum quum praecipuum publicum civium munus fue-

(53) Concord. d. cap. 3. num. 6. 7. 8. & 9. & Collect. reg. litt. par. 1. tit. 60. num. 4.

(53) L. 14. C. Theod. de episc. & cleric. & L. 1. 2. & 3. C. Just. eod.

(54) L. L. lib. 3. tit. 1. L. 42.

fuerit militia, ab hac clerici fuere exemti.

Idem paene apud nos ſub Normannis, & Suevis regibus obtinuiſſe mihi perſuadeo, quum nihil de ea clericorum immunitate in noſtris conſtitutionibus cautum legamus: & conſtet ſaepiſſime Fridericum II. ad fiſcales collationes clericos aeque, ac laicos obligaſſe. Hinc intelligere poſſumus ejuſdem Friderici conſtitutionem anno 1220. editam, qua prohibetur, ne *collectae*, *exactiones*, *angariae*, *vel parangariae* eccleſiis, locis religioſis, vel eccleſiaſticis perſonis imponantur (55); ad nos minime pertinuiſſe, quippe quae nobis lata non fuit. Quare in noſtrarum legum codice relata non eſt; ut taceam eam conſtitutionem novas praeſtationes ſpectare, quae a magiſtratibus ſine principis juſſione imperantur.

Sed ubi regnum ad Andegavos pervenit coepere clerici ampliori immunitate uti. Quare Carolus II. ita praecepit: *Item ſtatuimus, quod clerici, qui clericaliter vivunt, non cogantur cum aliis communicare in collectis, & exactionibus aliis quibuſcunque nec pro bonis eccleſiaſticis, nec pro patrimonialibus de portionibus eos legitime contingentibus* (56). Qui-

(55) Conſt. de ſtatut. & conſuet. contr. libertatem ecclel. §. 2. unde deſumta eſt Auth. item nulla C. de epiſc. & cleric.

(56) Cap. item ſtatuimus, quod clerici 98.

Quibus postremis verbis non videtur clericis plenissima immunitas pro bonis, quae possidebant, tributa: sed duntaxat *pro bonis ecclesiasticis*, & *pro patrimonialibus*, hoc est, quae legitima successione ad eos obvenerant: non pro bonis noviter emtione, aliave ratione quaesitis. Quare Ferdinandus I. Aragonius anno 1466. jussit clericos ad fiscales praestationes esse compellendos *pro bonis aliis, quam ecclesiasticis*, & *patrimonialibus de portionibus eos legitime contingentibus* (57).

Sed paulatim eo res devenit, ut clerici, & monachi plenissima immunitate uterentur a tributis, vectigalibus, caeterisque publicis praestationibus, potissimum quod id crederetur quasi jure divino esse constitutum. Quae res cum publico bono, & regiis juribus obesset, pactis conventis inter Carolum Borbonium, & Benedictum XIV. emendata est. Cautum namque est, ut clerici perinde, ac laici censum, & tributa pendant pro bonis, quae possident, exceptis iis, quae sibi assignata sunt pro honesta exhibitione, quae vulgo *sacrum patrimonium* nuncupant; de quibus censum non pendunt, ex quo subdiaconi creati sunt, modo eorum bonorum annuus reditus centusses quadraginta non excedat. Im-

(37) Pragm. 2. in fin. de cleric. seu diaconsilvat.

Immunitas vero a vectigalibus (*franchigia* vulgo dicitur) ita moderata est , ut episcopis , & ecclesiarum praelatis pro modo redituum , famulorum , atque eleemosinarum , quae ab iis praestandae sunt , tribuatur : presbyteris vero, diaconis, & subdiaconis immunitas quotannis tribuatur sex medimnorum farinae : monachis vero caeterisque religiosis personis , seu maribus , seu feminis immunitas quotannis praestetur quinque medimnorum farinae ; quam immunitatem habent non soli monachi, qui religiosam vitam professi sunt, sed & novitii, & quicunque religiosum habitum in monasterio induuntur . Eademque immunitate utuntur seminariorum alumni , immo & famuli ; nisi quod presbyteris , diaconis , & subdiaconis, qui in seminario morantur, amplior immunitas tribuatur , scilicet medimnorum sex farinae (58).

Immunitas vero , qua olim clerici , atque ecclesiasticae personae pro reliquis rebus utebantur , supra dictis pactis conventis immutata non est : immo cautum , ut qua in singulis urbibus , locisve immunitate antea utebantur , eadem uterentur . Similiter de immunitate metropolitani , cleri , & seminarii Neapolitani nihil imminutum : statutum enim est ea immunitate a vectigalibus usuros qua

(58) Concord. cap. 1. num. 7. ad 14.

qua ante triginta annos utebantur (59).

Presbyteri autem, diaconi, & subdiaconi eam immunitatem obtinent in sola patria, aut ubi domicilium habent, vel ubi morantur, ut ecclesiae, aliove pio loco, vel scholae deserviant: alioqui neque in patria, neque ubi commorantur, ea possunt immunitate uti (60).

Quod si alicujus urbis, pagi, locive clerus putet sibi ex peculiari caussa ampliorem immunitatem esse tribuendam, ejus rei cognitio ad Tribunal Mixtum pertinet (61).

Verum ea clericorum, ecclesiasticarumque personarum immunitas novissimis regiis litteris datis III. Nonas Januarias hujus anni 1784. saltem in regni provinciis videtur restricta: etenim iis generatim cautum, ut quibus in urbibus, locisque publica onera, & fiscales præstationes ex vectigalibus exsolvuntur, in iis clerici, & monachi, immo & hospitalia, & parochiae, & seminaria vectigalia, ut caeteri cives, pendant, & publica onera subeant, excepta duntaxat superiori immunitate pro farina.

Denique de monachis illud monendum, quoniam ii religiosam, atque inopem vitam profitentur, antea solere propinquorum he-

(59) Concord. d. cap. 1. num. 17. & 19.
(60) Concord. d. cap. 1. num. 15.
(61) Concord. d. cap. 1. num. 20.

reditatibus, bonisque omnibus cedere proximioribus, quibus voluerint, conjunctis; quae renuntiatio, si religiosa professio intra bimestre sequuta non fuerit, irrita sit (41). Quod si monachi post religiosam professionem de summi pontificis venia religiosam vitam abdicaverint, qui *secolarizzati* dicuntur; eorum renuntiatio rata, & firma manet: sed monachi, qui religiosam vitam abdicarunt, poterunt ex iis bonis alimenta postulare pro bonorum quantitate, & sua ipsorum conditione (42).

(62) Concil. Trident. sess. 25. cap. 16. de regul.
(63) Collect. reg. lit. part. 1. tit. 49. num. 8.

INSTITUTIONUM
JURIS CIVILIS NEAPOLITANORUM
LIBER III.

DE RERUM DIVISIONE, ET PARTICULARIBUS EARUM ADQUIRENDARUM MODIS

CAP. I.

De sacrosanctis ecclesiis, & locis religiosis.

A Personis ad res pergimus. Rerum quaedam divini juris sunt, quaedam humani. (1) Divini juris dicuntur, quae non modo hominum commercio, sed etiam promiscuis, profanisque usibus religionis caussa exemtae sunt. Humani juris sunt, quae vel in commercio sunt, vel ad communes, profanosque usus comparatae sunt. Divini juris apud nos sunt ecclesiae, & religiosa loca, ut monasteria, hospitalia, coemeteria, & similia. De his aliqua ex legibus nostri regni dicenda sunt.

Ecclesia Graeca vox concionem, seu comitia denotat. Hinc apud rei sacrae scriptores

(1) L. 1. D. de rer. divis.

res ecclesia dicitur fidelium coetus, qui veram Christi religionem profitentur. Sed hoc loco ecclesiae nomine designamus locum, quo fideles sacrorum caussa conveniunt. Ejusmodi ecclesias non modo episcopi auctoritate, sed etiam publica, seu principis aedificari oportet. Publica exstruendis ecclesiis auctoritas necessaria est, quoniam princeps omnis reipublicae procurationem habet: omniaque, quae externum religionis cultum respiciunt, ad principis curam pertinent. Praeterea quum ecclesia quasi ficta persona bona possideat, deque iis experiri, & conveniri queat; hinc fit, ut sine publica auctoritate exsistere nequeat: hujusmodi enim communis, & publica fictio sine publica auctoritate intelligi nullo modo potest. Quare merito & Carolus Borbonius, & Ferdinandus IV. sapientissimi reges nunquam permisere ecclesias, monasteria, hospitalia, aliaque religiosa loca exstrui, aut sodalitia (*congregationes*, sive *confratantias* appellant) instituti sine regio adsensu; exstructasque ecclesias non modo bona possidere non posse: sed in profanos usus convertendas, vel destruendas esse: & sodalitia supprimenda statuere (2). Immo ne veteres quidem eccle-

(2) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 3. num. 1. 2. 5. 8. 9. 13. 18. 19. & 20. & sup. 1. tit. 2. num. 3. 4. 6. 7. & 8.

ſias ſine regio adſenſu ampliare licet (3).

Eccleſiarum rite exſtructarum omnis initio cura ad epiſcopum pertinuit, bonorumque adminiſtratio. Reditus enim, qui ex omnibus dioeceſeos eccleſiis proveniebant, ad epiſcopi procurationem ſpectabant, qui eos & clericis diſtribuebat, & pro eccleſiarum tuitione impendebat, & pro eleemoſinis pauperibus diſpenſabat: tum inſtitutis beneficiis eccleſiaſticis omnium paene eccleſiarum presbyteris,& clericis, quibus beneficia collata, procuratio fuit demandata (4). Verum jam uſque a primis eccleſiae ſaeculis, V. ſcilicet, & VI. interdum, qui eccleſias, atque alia religioſa loca aedificabant, eiſque bona attribuebant, eorum adminiſtrationem ſibi, aut aliis reſervabant (5). Hinc ea eccleſiarum diſtinctio profecta eſt, quod quaedam pontificiae, ſeu ſacerdotalis procurationis ſint, quaedam laicae. Idem judicium eſto de ſacellis (*cappellas* nuncupant) altaribus, hoſpitalibus, caeteriſque religioſis locis.

Eccleſiae pontificiae, ſeu ſacerdotalis procurationis ſunt, quarum curam, tam de ſpiri-

(3) Collect. reg. lit. d. par. 1, tit. 3. num. 11, & ſup. 1. tit. 3. num. 5.

(4) Concilium Antioch. can. 24. & 25. & Gangr. can. 7.

(5) L. Chartularii 25. §. ult. C. de ſacroſ. eccl, Novel. 57, cap. 2. & Nov. 123. cap. 18.

ritalibus, quam de temporalibus bonis episcopus gerit, bonaque administrat, seu per se, seu per presbyteros, & clericos, quibus beneficia collata sunt. Laicae vero procurationis sunt ecclesiae, quarum bonorum administratio, & cura ad laicos pertinet, qui ea seu per se, seu per presbyteros, & clericos a se ad beneficia nominatos administrant.

Prioris generis sunt ecclesiae *cathedrales*, nisi regii patronatus fuerint, *collegiatae*, & *parochiales*, quae neque regii, neque feudalis, neque laici patronatus sunt: item ecclesiae, seu beneficia liberae collationis, & ecclesiastici patronatus; quarum omnium bona episcopus per eos presbyteros, vel clericos administrat, quibus ecclesiastica contulit beneficia.

Posterioris generis sunt ecclesiae *receptitiae*, *patrimoniales*, & quaecunque sunt regii, feudalis, aut laici patronatus; quorum bonorum cura, & administratio ad universitatem, ad certas familias, vel ad patronos pertinet, qui eam exercent per presbyteros, & clericos, qui in eis beneficia, aut officia obtinent. Item eae ecclesiae, quarum procurationem laici ipsi per se exercent. Atque hae omnes ecclesiae, & religiosa loca ea sunt, quae *ecclesiae laicales*, & *pia loca laicalia* vulgo nuncupantur.

Quamvis autem, ut dictum est, ecclesiae *cathedrales*, *collegiatae*, & *parochiales* ple-

rumque pontificiae, seu sacerdotalis procurationis sint; tamen saepissime in iis sunt sacella, atque altaria laicae procurationis, potissimum, quae sunt laici patronatus. Idcirco si in *cathedrali* ecclesia *canonicatus* sint laici patronatus, bona quidem episcopi, seu *mensa* episcopi, pontificiae procurationis sunt: bona vero capituli laicae procurationis censentur. Eaque de caussa, quum ecclesia non unius episcopi, sed potius capituli esse videatur, magis laicae, quam pontificiae procurationis censenda est.

His ita expositis videamus de procuratione ecclesiarum, locorumque religiosorum, deque bonorum administratione. Et quidem quae pontificiae, seu sacerdotalis procurationis sunt, eorum cura, omnisque administratio ad episcopum pertinet: qui spiritalia disponit, & temporalia bona seu per se, seu per eos, quibus beneficia collata sunt, administrat. Quae vero laicae procurationis sunt, earum quaedam directe sub ipsius principis cura sunt, quae *sub immediata regia protectione* esse dicuntur, quaedam non sunt.

Directe sub principis cura sunt, seu *immediate sub regia protectione* sunt ecclesiae, & religiosa loca *regiae fundationis*, *dotationis*, vel in ipsa fundatione regiae protectioni oblata. Horum visitatio, & spiritalium rerum cura ad Cappellanum Majorem pertinet

net (6). Bonorum vero administratio ad eos, quibus id muneris in ipsa fundatione demandatum est, quique ab iis ad quos spectat electi sunt. Hi finito anno administrationis rationes reddere debent ratiocinatoribus (*rationales* appellant) electis ab iis, a quibus eligendos in fundatione cautum: si nihil de ea re in fundatione dictum, electio ratiocinatorum ad regios loci gubernatores, vel ad provinciae praesides pertinet. Simul cum ratiocinatoribus regius loci gubernator, aut si in loco non sit regius gubernator, alius a praeside deputatus intervenire debet, qui gratis examinandis rationibus operam det, & simul cum ratiocinatoribus subscribat sententiae, qua administratores damnantur, vel absolvuntur (*significatoriam*, vel *liberatoriam* appellant). A qua sententia si fuerit provocatum, Delegatus regiae jurisdictionis adeundus est (7).

Quae vero directe sub principis cura non sunt, seu sub *immediata regia protectione*, eorum spiritalium quidem rerum cura, & visitatio, quantum ad sacra attinet, episcopo permittitur, temporalium vero nequaquam (8).

(6) Concord. cap. 5. num. 1. & bulla *convenit* Benedicti XIV. quae extat in Collect. reg. lit. par. 1. sup. 1. tit. 39. n. 1.

(7) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 37. num. 3.

(8) Concord. cap. 5. num. 1. & Collect. reg. lit. par. 1. tit. 35. num. 7. & 14.

Quarum rerum administratores in sodalitiis, sive *congregationibus* ab ipsis sodalibus eligendi sunt, modo meminerimus, si qui sunt in sodalitio presbyteri, aut clerici, neque eligere, neque eligi posse ad bonorum administrationem, vel simile officium (9). Parique ratione finita administratione ratiocinatores, qui rationes examinent eliguntur (10).

Ecclesiarum vero, sacellorum, hospitalium similiumque religiosorum locorum laicae procurationis administratores, ab iis eligendi sunt, a quibus in fundatione cautum, ut eligantur: si nihil de ea re in fundatione expressum, ab universitate in publicis comitiis, & secretis suffragiis eligendi sunt. Ad id tamen muneris eligi nequeunt debitores earumdem ecclesiarum, vel religiosorum locorum: quique administrationis antea gestae rationes nondum reddiderunt: & denique cognati, & adfines decessorum administratorum. Tum finito anno rationes administrationis reddere debent: eaque de caussa pari ratione ratiocinatores eligendi sunt, atque ab episcopo petendum, ut aliquem destinet, qui gratis una cum electis ratiocinatoribus rationes dispungat, atque simul cum iis sententiam ferat, qua, qui administrarunt, condemnentur, vel ab-

(9) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 34. num. 4. & 5. sup. 1. tit. 36. num. 9.
(10) Collect. reg. lit. tit. 35. num. 4.

absolvantur ; a qua sententia ad Tribunal Mixtum licet provocare (11).

Adeo autem hujusmodi ecclesiae , & religiosa loca laicae procurationis ab episcopi jurisdictione exemta sunt , ut nullas ab iis praestationes queat exigere , neque visitationis , neque *cathedratici* , aut *synodatici* titulo , quum ab eo gratis sint visitanda (12).

Praeterea si ecclesiae *receptitiae* aut *patrimoniales* fuerint , adhuc ecclesiasticorum officiorum (nulla enim in iis sunt ecclesiastica beneficia) dispensatio episcopo ademta est : sed ad eos presbyteros , clericosve pertinet , qui iisdem ecclesiis adscripti sunt , nisi aliud in fundatione fuerit constitutum (13) ,

De judice in caussis ecclesiarum, religiosorumque locorum nihil jure Romano cautum reperitur . Ideoque seu agerent , seu convenirentur , regii magistratus adibantur : sed ubi Justinianus praesbyteris , & clericis privilegium concessit , ut coram propriis episcopis convenirentur (14) ; id privilegium ecclesiis quoque , & religiosis locis , quae a clericis procurabantur , videtur fuisse communicatum .

Quum-

(11) Concord. d. cap.5. num. 2. & 3. & Collect. reg. lit. par. 1. tit. 35. num. 1. 2. 3. 4. & 5.

(12) Collect. reg. lit. part. 1. sup. 1. tit. 30. num. 1. & 2. & tit. 36. num. 7.

(13) Collect. reg. litt. part. 1. supp. 1. tit. 31. num. 5.

(14) Novel. 83. princ.

Quumque deinde ſub Langobardis clerici, & monachi eodem, quo laici, jure uterentur, ut coram publicis judicibus litigarent; niſi quod ex Caroli Magni lege clericorum perſonae ad eorum tribunalia trahi non poſſent; hinc per ea tempora de eccleſiarum, monaſteriorum, locorumque religioſorum cauſſis cognitio ad ordinarios magiſtratus pertinuit (15). Idem hoc inſtitutum ſub primis Normannis perſeveravit. Verum Guillelmus I. aliquod privilegium eccleſiis primus videtur tribuiſſe: etenim juſſit clericos de rebus, & poſſeſſionibus coram publicis magiſtratibus eſſe conveniendos, niſi ea bona ab eccleſiis tenerent, hoc eſt, niſi clerici de fundis eccleſiae convenirentur (16). Quare ea conſtitutione id videtur eccleſiis tributum, ne publici magiſtratus judicarent de cauſſis eccleſiarum, quae pontificiae, ſeu ſacerdotalis procurationis eſſent, quorum ſcilicet fundos clerici beneficii jure obtinerent.

Id privilegium quamvis videatur Friderici II. conſtitutione fuiſſe abrogatum, qua generatim cautum de poſſeſſionibus, fundis, bonisque clericorum cognitionem ad regios magiſtratus ſpectare (17); tamen ſenſim introdu-

(15) L. L. lib. 2. tit. 56. L. 18. & lib. 3. tit. 1. L. 11.

(16) Conſt. de perſonis.

(17) Conſt. de burgenſaticis.

ductum fuit, ut caussae omnes ecclesiarum locorumque religiosorum ad episcopos pertinerent, propterea quod opinio increbuerat ecclesias, religiosa loca, clericos, bonaque ecclesiarum, & clericorum a magistratuum jurisdictione, quin ab ipsius principis imperio esse plane exemta. Qua opinione quum nihil sit magis a veritate alienum, & reipublicae magis noxium; hinc merito nostra aetate ab ea recessum. Atque in caussis ecclesiarum, & locorum religiosorum laicae procurationis, quas dicunt *ecclesias laicales*, *& loca pia laicalia*, nulla episcopi jurisdictio est, sed ordinariorum magistratuum (18). Similiter quaestiones de laico jure patronatus, deque bonis ejusmodi ecclesiarum ad laicos judices spectant, quum quia eae ecclesiae laicae procurationis sunt, tum etiam quia judicia in rem, quale est judicium de jure patronatus, ad publicos magistratus pertinent (19). Verum si sint ecclesiae regiae, vel regii patronatus, earum caussae, sive agant, sive conveniantur ad Cappellani Majoris curiam pertinent, ut superius dictum est (20).

Caussae vero ecclesiarum, & locorum religio-

gio-

(18) Collect. reg. lit. par. 1. sup. 1. tit. 36. num. 1.

(19) Collect. reg. lit. par. 1. supp. 1. tit. 30. num. 3.

(20) Collect. reg. litt. par. 1. sup. 1. tit. 11. num. 1. 2. 3. 4. 5. 7. 8. & 9.

gioſorum pontificiae, ſeu ſacerdotalis procurationis ad epiſcopos pertinent; niſi quod, ubi poſſeſſorio, vel petitorio judicio de illorum bonis agitur, ad publicos judices cognitio pertineat, quum generatim receptum ſit ob eas cauſſas clericos coram publicis magiſtratibus conveniri (21). Quemadmodum ſi eccleſia pontificiae, ſeu ſacerdotalis procurationis fuerit, veluti parochia, quam adminiſtrandam oeconomo laico parochus commiſerit: & oeconomus ad rationes reddendas fuerit compellendus; laicum judicem adire oportet: quoniam in laicos nulla epiſcopo tribuitur jurisdictio (22).

Jam de immunitate a tributis, & vectigalibus eccleſiis, & religioſis locis conceſſa aliquid dicendum. Quum eccleſiae, & religioſa loca principis imperio ſubſint, ejuſque tuitione utantur; hinc tributa, & vectigalia non ſecus, ac caeteri cives, pendere debent. At quoniam eorum bona divinis uſibus, pauperibusque alendis deſtinata ſunt; hinc aliqua ab his immunitate ipſorum principum pietate donata ſunt. Et quidem jure Romano ex Theodoſii junioris conſtitutione, quam Juſtinianus confirmavit, eccleſiae, & re-

(21) Conſt. de burgenſaticis, & Collect. reg. lit. par. 1. tit. 64. num. 13. & ſup. 1. tit. 66. num. 15. 16. & 18.

(22) Collect. reg. lit. par. 1. ſup. 1. tit. 36. num. 5.

religiosa loca nil praeter canonicam illationem, hoc est ordinariam tributi praestationem debebant: ad superindictum, translationem, adaerationem, aliudve extraordinarium onus minime tenebantur; nisi quid ad itinerum, vel pontium refectionem, vel ad imperatoriam expeditionem esset conferendum (23).

At quoniam sub Langobardis praecipuum civium munus militia fuit, ecclesiae, & religiosa loca ab eo munere erant exemta, eorumque bona ideo maximam habebant immunitatem. Eo fiebat, ut saepe laici bona in ecclesias transferrent, atque ab eis eadem bona satis tenui censu acciperent, quo militiae onus devitarent. Quare Pipinus rex jussit eo casu laicos, qui bona ecclesiis donaverant, aut fraudolenter vendiderant, ad militiam esse compellendos etiam decreta in ipsa bona exsecutione, *non resistente immunitate, ut status, & utilitas regni hujusmodi adinventionibus non infirmetur* (24).

Hoc ipsum sub Normannis, & Suevis regibus apud nos obtinuisse mihi persuaserim; nisi quod, quum per ea tempora, ubi necessitas id exigebat, extraordinariae praesta-

(23) L.5. 7. & 11. C. de sacros. ecclef. & Novel. 37. 43. & 131. cap. 5.

(24) L. L. tit. 3. tit. 9. L. 3.

stationes imperarentur, quas *collectas* dixere; ab iis ecclesiae, & loca religiosa nequaquam fuere exemta. Ubi vero regnum ad Andegavos pervenit, videntur hi ecclesiis, & religiosis locis plenissimam immunitatem indulsisse (25): & quod ii summis pontificibus essent obstricti, & quod ea aetate invaluerit opinio ecclesiarum, clericorumque bona ab omni tributo, & vectigali quasi jure divino esse exemta.

Quumque ea immunitas, qua ecclesiae, & loca religiosa ad nostra usque tempora usa sunt, non parum & regiis juribus, & publico civium bono repugnaret, quod tributa, & publica onera in laicos redundarent, quibus ferendis pares non erant; hinc Carolus Borbonius sapientissimus rex conventione cum Benedicto XIV. inita rem ita moderavit, ut bona ecclesiarum, & religiosorum locorum deductis necessariis oneribus, & impensis medietatem tributi inferrent, quod a laicis penditur: veteri immunitate uterentur bona parochiarum, seminariorum, atque hospitalium: bona vero, quae post eam conventionem ecclesiae, & religiosa loca adquirerent, solida tributa, ut bona caeterorum civium, praestarent (26).

Ad ultimum duo de feminarum monasteriis

(25) Cap. item statuimus 98.
(26) Concord. cap. 1. num. 1. 2. 3. 4. & 5.

riis hoc loco omittenda non sunt. Alterum vetitum esse, ne qui sine ordinarii superioris venia eas alloquantur, poena proposita unciarum centum, & alia extra ordinem: excipiuntur parentes, & fratres ipsarum, immo, & cognati, & adfines ad secundum gradum. (27). Alterum prohiberi adspectum in feminarum monasteria, ideoque occludendas esse fenestras, & tectis cooperienda solaria, unde adspectus in ea sit; quique contra eam formam aedificaverint, centussibus mille esse multandos, aliaque poena extra ordinem (28). Hanc sanctissimam constitutionem plerique forenses, quam lepidissime ad virorum monasteria producere conantur (29); quo nihil dici potest ineptius, atque a verbis, & mente legis magis alienum.

CA-

(27) Pragm. 1, & 3. de monial. & Collect. reg. lit. part. 1. tit. 54. num. 7.
(28) Pragm. 2. de monial.
(29) Rovitus decis. 92.

CAPUT II.

De asylo ecclesiarum, locorumque religiosorum.

Quum ecclesiae orationi, & sacris ministeriis destinatae sint, hinc nundinae, judicia, comoediae, atque his similia in ecclesiis vetita sunt. Eademque de caussa vis omnis, & tumultus ab eis arceatur, oportet; quamobrem inductum, ut qui in ecclesiam se recipit, illinc per vim ne abstrahatur; quod etiam sacri loci reverentiae datum esse videtur. Ea re ethnici quoque ea erant adversus templa, atque aras reverentia, ut qui eo confugerant, ne per vim abstraherent (1). Id apud Christianos lege lata Theodosius junior stabilivit (2): & Justinianus confirmavit; excepit tamen homicidas, adulteros, virginum raptores, atque eos qui Christianis hominibus vim intulissent (3).

Langobardi quoque simile quid constituere: etenim prohibuerunt, ne domini servos ad

(1) M. Tullius orat. 2. in Rull. cap. 14. Suetonius in Tiber. cap. 37. & Tacitus annal. lib. 3. cap. 60. & 63.

(2) L. 2. C. de his, qui ad eccl. confug.

(3) Novel. 17. cap. 7. & novell. 37.

ad ecclesias confugientes vi abriperent : sed voluere ab ecclesiae praelatis, venia impetrata, eis esse restituendos (4). Leviorum quoque delictorum reos in ecclesiis voluerunt esse securos (5) : graviorum nequaquam, quales erant homicidae, fures, latrones, & quicunque capitalem noxam admisissent; quos ab ecclesiae praelatis publicis judicibus jussserunt esse tradendos : eaque de caussa semel, iterum, & tertio esse requirendos; &, si tradendis fontibus cessassent, pecuniaria poena esse plectendos (6).

Id ipsum mihi persuaserim sub Normannis, & Suevis apud nos obtinuisse. Sed quum XI. & XII. saeculo ecclesiastica jurisdictio, pontificisque Romani plurimum crevisset auctoritas: atque opinio increbuisset, quae ad ecclesias, domus religiosas, ecclesiasticas personas, earumque bona pertinent, non publicis, sed pontificiis legibus esse dijudicanda; hinc factum, ut sub Andegavis, sequutisque nostris regibus creverit ecclesiarum, locorumque religiosorum immunitas, atque asylo gauderent paene omnium criminum rei : &, si quae de ea re controversiae orirentur, eae ex pontificiis constitu-

S tio-

(4) L. L. lib. 2. tit. 39. L. 1. & tit. 25. L. 21.

(5) L. L. lib. 2. tit. 39. L. 5.

(6) L. L. lib. 2. tit. 39. L. 2. 3. & 4.

tionibus definirentur. Quare Carolus II. ita edixit: *Item statuimus, quod ecclesiae in toto regno Siciliae gaudeant privilegio eis per jura communia indulto, scilicet, quod rei, qui ad ecclesias confugiunt, abinde non extrahantur inviti, nisi in casibus a jure permissis* (7). Quo in loco communium jurium nomine pontificias decretales, & constitutiones intelligit: casusque a jure permissos nuncupat, quum jure pontificio licebat reos ecclesia extrahere. De ea re tandem a Gregorio XIV. anno 1591. constitutio edita est, quae incipit, *quum alias nonnulli*, quae de hujusmodi caussis apud nos servari solebat. Quae res quum non parum publico bono officeret: crimina enim gliscebant, & controversiae, & concertationes multiplicabantur; hinc Carolus Borbonius sapientissimus rex pactis conventis cum Benedicto XIV. hoc asyli jus imminuit, & dubia, quaestionesque de ea re amputavit.

Constituit enim asyli jus tribui ecclesiae, ejusque atrio, modo muris, porticibusque circundatum sit: scalis quoque, & portis, quae a fronte, vel a latere sunt: muris vero duntaxat iis, qui sunt a fronte. Idem hoc asyli jus dedit domibus quoque parochorum, aliorumve clericorum, qui ecclesiae ministerio addicti sunt, modo ab ipsis incolan-

(7) Cap. item statuimus, quod ecclesiae 95.

lantur, atque aditum ad ecclesiam habeant. Contra asyli jus ademit ecclesiis, quae ruri sunt, scilicet extra urbes, & vicos, exceptis parochiis, & quae animarum curae destinatae sunt, vel in quibus eucharistia adservatur. Pariter asyli jus ademtum fuit privatis sacellis in privatorum domibus exstructis, adhuc si publicarum ecclesiarum jure donata sint, atque aditum ad publicam viam habeant: ecclesiis castrorum, quamvis in iis eucharistia adservetur: ecclesiis dirutis: hortis, & viridariis ecclesiarum, locorumque religiosorum, nisi muris septa sint, atque intra ambitum (*clausuram* nuncupant) monasteriorum sint: uti & domibus, & tabernis, quae ecclesiis, & religiosis locis conjunctae sunt, modo intra ambitum, seu *clausuram* monasteriorum sitae non sint. Turribus denique *campanariis*, quae ab ecclesiis sejunctae sunt, nullum asyli jus tributum est (8).

Crimina quoque enumerantur, quorum rei asylo excluduntur; atque hujusmodi sunt I. incendiarii domorum, tuguriorum domorum instar exstructorum, messium, gregum, vinearum, arborumque fructuosarum. II. plagiarii, quos vulgo *recaptatores* vocant, qui homines de loco ad locum asportant, ut redimantur, quive per nuncium, vel e-

S 2 pi-

(8) Concord. cap. 2. num. 26. ad 33.

pistolam metu mortis, vel incendii illato pecuniam exigunt. III. venefici, qui dolo malo venena conficiunt, vendunt, vel propinant, adhuc, si cui venenum datum fuerat, forte fortuna illud rejecerit, nec biberit. IV. qui ad homines occidendos operam locant, vel conducunt (*assassinos* vocant) adhuc morte non sequuta, modo eum, qui occidendus erat, invaserint. V. latrones, & grassatores viarum, etiamsi viatorum vitam, corpusve non laeserint. VI. qui adulterinis clavibus, aliove instrumento ecclesiarum, domorum, vel tabernarum portas noctu aperiant, effringunt, vel comburunt, aut in ea loca per tecta, fenestras, parietumque aperturas ingrediuntur, & furta committunt morte expianda. VII. qui noctu se tribunalium apparitores simulantes alienas domos ingressi furantur, vel vim mulieribus inferunt. VIII. qui falsa instrumenta conficiunt, quibus pecuniam e publicis numulariorum mensis exigant, seu, ut vulgo dicitur, qui *falsificant fedes crediti*, *mandata*, *vel apochas banchi*. IX. mercatores, qui dolo malo pecuniam celantes decoxere. X. publicae pecuniae arcarii, puta regius thesaurarius, provinciarum quaestores, numulariorum, atque universitatum arcarii; item pignorum sequestri, si eam pecuniae quantitatem subripuerint, ob quam poena ordinaria plectendi sunt. XI. perduellionis, vel majestatis

rei,

rei, quo referendi fint, qui regiorum, non vero baronalium magistratuum personas offenderint. XII. qui extrahunt, extrahi curant confugientes ad ecclesias. XIII. qui in ecclesiis homicidia, aliave admittunt crimina, cur poena mortis, vel triremium fint puniendi: vel ecclesiis egressi ea delicta committunt, ut in eas revertentes asylo defendantur. Denique, qui asylo abutuntur, si semel id commiserint, episcopi auctoritate in aliam ecclesiam transferuntur: si iterum, episcopi sententia asylo privantur.

Illud ad extremum additum est constitutiones, seu *bullas* summorum pontificum, *quum alias nonnulli* Gregorii XIV. *ex quo divina dispnente clementia* Benedicti XIII. & *in supremo justitiae solio* Clementis XII. in iis; quae hujusmodi pactis conventis minime repugnant, adhuc valere, & servari oportere. Quare ex supra dicta Clementis XII. constitutione homicidae generatim asylo excluduntur, nisi fortuito, vel ad justam sui defensionem hominem necuerint (o).

Modus tandem stabilitus est, quo rei ecclesia extrahendi fint. Et quidem, si is ad ecclesiam confugiat, qui asylo minime juvatur; publicus magistratus, si indicia fint ad eum capiendum, ejus ab ecclesia extra-

 hen-

(o) Concordatum cap. 2. num. 9. ad 23. & num. 34. & 35.

hendi veniam ab ecclesiae praelato petere debet, nempe ab episcopo, vel ejus vicario generali, vel foraneo, & praesente persona ecclesiastica reum extrahet juratus cavens ipsum ecclesiae restitutum iri, si pronuntiatum fuerit eum asylo juvari. Quod si ea venia fuerit denegata, reum extrahet, & cautionem ad episcopum mittet. Reo capto, & in publicam custodiam ecclesiae nomine conjecto, intra quadrimestre judiciaria acta conficiet, quae *processus informativus* dicitur, eaque ad episcopum mittet, ut is in mense proximo pronuntiet, reus asylo juvetur, an non. Nisi magistratus intra quadrimestre acta ad episcopum miserit, ecclesiasticis censuris ab eo ad reum ecclesiae restituendum erit compellendus: nisi vero episcopus infra mensem pronuntiaverit, ad Tribunal Mixtum ejus rei cognitio ipso jure defertur. Ut autem episcopus possit reum sententia asylo excludere, indicia sufficiunt, quae ad eum torquendum essent satis. Post episcopi sententiam publicus judex novam juratus cautionem praestare debet de reo ecclesiae restituendo, si is se innocentem ostenderit. Ab episcopi sententia neque accusatori, neque reo licet provocare, sed advocato fisci laici, vel ecclesiastici, quibus permissum est Tribunal Mixtum appellare.

Quod autem dictum est de episcopo, id minime pertinet ad inferiores praelatos, qui

epi-

episcopali jurisdictione utuntur: si quid enim in horum territorio acciderit, caussae cognitio ad dioecesanum, aut ad viciniorem episcopum pertinebit, si scilicet in nullius dioecesi situm sit illius praelati territorium(10).

Illud etiam cautum est his, qui ad ecclesiam confugiunt, arma a praelatis ecclesiae esse adimenda: quod ni factum fuerit, posse publicum judicem petita, ut supra dictum est, venia, arma eis adimere.

Denique permissum est publicis magistratibus res furtivas, aut vetitas merces (*controbanni* vulgo dicuntur) in ecclesiis, aliisve religiosis locis quaerere, petita prius ecclesiastici praelati, ut dictum est, venia; exceptis duntaxat feminarum monasteriis, quae ingredi publico magistratui non licet (11).

(10) Concord. cap. 2. num. 2. ad 8.
(11) Concord. d. cap. 2. num. 24. & 25.

CAPUT III.

De adquirendis, atque alienandis rebus ecclesiarum, locorumque religiosorum.

DE bonis ab ecclesiis, locisque religiosis adquirendis, illud principio tenendum licere principi nimiam bonorum potissimum immobilium adquirendorum licentiam ecclesiarum, locorumque religiosorum coërcere: idque cum primis expedire, atque e republica esse. Utrumque hoc & ratio suadet, & ipsa rerum magistra historia demonstrat. Etenim ecclesiae, quod ad res temporales attinet, imperio principis perinde, ac caeteri cives, atque universitates, & collegia subsunt; quare princeps potest illis non secus, ac his nimia bonorum comparatione interdicere. Idque non sine ratione, quoniam, ubi ecclesiae, & loca religiosa nimium ditescunt, cives pauperes sint, necesse est; quo nihil potest accidere magis perniciosum reipublicae. Historia quoque nos docet in omnibus Christiani orbis regnis nimiam bonorum maxime immobilium adeptionem ecclesiis, & religiosis locis fuisse coërcitam, ut in Anglia, Venetiis, Lusitania, Valentia, Flandria, Gallia, Saxonia, & ple-

plerisque Germaniae provinciis (1).

Hoc posito videamus, qualem apud nos habuerint ecclesiae, & religiosa loca bonorum adquirendorum licentiam. Et quidem, ubi imperium ad Constantinum, sequutosque Christianos principes pervenit, ecclesiis, & religiosis locis non secus, ac collegiis licitis permissum est bona seu mobilia, seu stabilia adquirere (2). Ea adquirendi licentia sub Langobardis minime apud nos fuit imminuta, quum nulla in eorum legibus constitutio occurrat, qua id constituatur. Immo Luitprandi lege permittitur minori decem & octo annis aegroto, atque in mortis periculo res suas, quas voluerit, ecclesiis, & religiosis locis relinquere; quod in ea aetate constitutis permissum non erat, si aliis vellent res suas legare (3).

Quando vero regnum ad Normannos, & Suevos pervenit, utrum ea bonorum adquirendorum licentia ecclesiis, locisve religiosis fue-

(1) De Anglia, & Venetiis id scribit Bodinus de rep. lib. 5. cap. 2. De Lusitania Molina de just. & jur. tract. 2. De Regno Valentiae Belluga in specul. princ. rub. 14. De Flandria Guicciardinus differt. Flandr. De Gallia Joannes Faber ad L. quoties 15. C. de rei vindic. De Saxonia Baldus consil. 174. De provinciis Germaniae Gaillus lib. 2. obser. cap. 32.

(2) L. 1. C. de sacros. eccles.

(3) L. L. lib. 2. tit. 29. L. 1.

fuerit imminuta, clarissimi nostrae aetatis viri non conveniunt. Sane Fridericus II. ita edixit: *Praedecessorum nostrorum veterum principum constitutionem, quam antiqua turbatio praeteriti temporis antiquarat, nova provisione novantes, edicimus, quod nulli subjectorum nostrorum, clerico, vel laico liceat de domibus, templi, vel hospitalis, seu quolibet alio loco religioso, de quo nostrae curiae servitium minime debeatur, possessiones hereditarias, vel patrimoniales vendere, vel donare inter vivos, seu aliquo donationis modo, nisi ex aequali caussa permutationis transferre.* Tum subdit in eadem constitutione, si quis quid eisdem religiosis locis ultima voluntate reliquerit; id intra annum vendi, aut locari oportere, alioqui esse publicandum. Mobilia vero ejusmodi locis vendi, donari, & legari posse (4). Locatio vero, quam hoc loco meminit Fridericus non est notus juris Romani contractus, sed perpetuae alienationis genus, de quo dicam libro quinto.

Disputant ergo clarissimi viri, quinam fuerint hi Friderici decessores, quorum legibus stabilium bonorum adeptio religiosis locis fuerat ademta, aut saltem deminuta, Normannine, an Graeci, an Langobardi: & quid de ea re Fridericus constituerit. Di-

(4) Const. praedecessorum, de reb. stabil. eccles. non alien.

Dicam breviter quod sentio, & quod conjectura mihi adsequutus videor. Quum apud nos regnabant Langobardi, ecclesiis, locisque omnibus religiosis permissum fuit bona mobilia, atque immobilia adquirere, quoniam ea loca perinde, ac caeteri cives, publicis oneribus erant subjecta, nisi quod a militia essent exemta. At ubi Rogerius rex dominari coepit, militiae onus ad eos, qui feuda possidebant, redundavit: caetera publica onera pro facultatum modo cives subibant: nam, ubi usus venerat, praestationes imperabantur, quas *collectas* dixere, quas & cives, & ecclesiae, & religiosa loca pro facultatibus praestabant. Quumque per ea tempora instituti fuissent religiosorum militarium ordines, scilicet Templariorum, Hospitalariorum, & Teutonicorum; quorum priores bona in nostro regno adipisci, & possidere coeperunt: atque a publicis oneribus, & communibus praestationibus se exemtos adserere, quod omnes reditus in peregrinos, atque infirmos exhibendos, nec non in militiam adversus infideles impenderent; hinc factum, ut iis novae bonorum stabilium adeptiones vetarentur, ne fisci commoda imminuerentur. Quumque id prima Friderici aetate fuisset neglectum, & pleraque stabilia bona Templarii, atque Hospitalarii apud nos comparassent; idcirco Fridericus id restituit, quod suorum decessorum constitutio-

tionem praeteriti temporis turbatione antiquatam appellat. Igitur ea constitutione Fridericus minime interdixit omnibus ecclesiis, & religiosis locis stabilia bona adquirere, sed duntaxat iis, quae se a publicis oneribus, & communibus praestationibus exempta contendebant, quod indicat iis verbis, *de quo nostrae curiae servitium minime debeatur*.

Verum quando Andegavi reges dominari coepere, ea prohibitio omnino neglecta est, atque omnes ecclesiae, & religiosa loca, & vel ipsi Templarii, atque Hospitalarii stabilia bona adquisivere; potissimum quod Carolus II. sine ulla distinctione eis fecerit adquirendorum bonorum potestatem, *dummodo possessiones, vel res curiae non teneantur in aliquo*, hoc est modo ea bona feudalia non sint, ex quibus servitium regi debetur (5).

Hinc factum, ut ex eo tempore novis rebus assidue comparandis ecclesiarum, & religiosorum locorum bona in immensum excrescerent, ut minima eorum pars civibus relinqueretur, brevique esset futurum, ut ii omnibus stabilibus bonis exuerentur. Quae res quum non parum publico bono officeret, Neapolitana civitas saepius a nostris regibus Philippo IV. Carolo II. & Carolo VI. petiit, ut huic malo occurreretur, & novis rebus quaerendis ecclesiis interdiceretur, sed res

(5) Cap. item statuimus, quod possessiones 99.

res nunquam feliciter successit (6). Sed tandem Ferdinandus IV. sapientissimus rex, quem Deus perpetuum sospitet, huic malo medicinam attulit.

Ferdinandus enim principio quibusdam in casibus novis bonorum comparationibus ecclesiis interdixit: tum tertio Idus Februarias anno 1769. prohibuit, ne notarii in Altamurano territorio quid relictum ecclesiis, aut locis religiosis testamento, aliave ultima voluntate describerent (7): tandem quinto Idus Semptembres ejusdem anni generatim vetuit, ne ecclesiae, & religiosa loca quid noviter adquirerent, cujus ejus legis tempore non essent in legitima possessione sine ulla contradictione. Adquirendi potestatem fecit iis solis religiosis locis, quae essent piis, & publicis operibus destinata, quaeque a laicis administrarentur (8).

Igitur ad hanc legem pertinent ecclesiae, & monasteria, seu virorum, etiam S. Joannis de Deo, seu feminarum, adhuc ea, quae vulgo *conservatoria* nuncupantur: nec non ecclesiastica beneficia etiam laici patronatus: item sodalitia etiam laicorum: & perpetuae *cappellaniae*, pro quibus instituendis stabilia bona destinari nequeunt, sed id one-

(6) Auctor H. C. lib. 40. cap. 6.
(7) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 7.
(8) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 8.

oneris heredi debet imperari (9). Permittitur vero nova bona adquirere hospitalibus, & *montibus* publicis operibus deputatis, quae a laicis administrantur: item collegiis, sive *conservatoriis* sub titulo S. Mariae sine labe conceptae, & S. Vincentii Ferrerii hujus urbis (10).

Bona vero, quorum adeptio ecclesiis, & religiosis locis vetita est, sunt potissimum res soli, quas seu ultima voluntate, seu inter vivos quovis contractu comparare nullo modo possunt: deinde res seu stabiles, seu mobiles, vel ipsa numerata pecunia, quas iis quavis ultima voluntate relinqui prohibitum est: denique non licet supra dictis religiosis locis novos annuos reditus comparare, quos *census consignativos* appellant; nisi duntaxat ex dotibus, quae mulierum monasteriis solvuntur, atque ex sortibus ecclesiis, aut piis locis debitis, eisdemque restitutis licet novos annuos reditus, non vero bona stabilia comparare: minime vero eis permissum est pecuniam, quae ex bonorum reditibus provenit, in sortem redigere, atque ex eis novos annuos reditus comparare: quum ii potius in pauperes alendos, aliosque

(9) Collect. reg. lit. par. 1, tit. 1. num. 8. 9. 10. & 28. & supp. 1. tit. 1. num. 4. 12. & 21.

(10) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 20. & supp. 1. tit. 1. num. 22. & 23.

que pios usus sint impendendi (11). Non prohibetur vero his religiosis locis bona, quae possident, reficere, aut in meliorem formam redigere, aut fructuosiora reddere, quemadmodum iis permittitur ex reditibus, quae supersunt, creditoribus solvere, eaque ratione usurarum praestatione liberari (12). Quemadmodum etiam vetitum non est feminarum monasteriis petere solutionem alimentorum, quae puellis praestita sunt, aut ejus praestationis, quae ad vitam monachis debebantur (*vitalitia* nuncupantur) uti etiam licet hujusmodi praestationes monachis, seu maribus, seu feminis noviter constitui, vel augeri (13).

Quamvis autem ecclesiae res soli nequeant ne inter vivos quidem quovis contractu comparare; tamen si id ex caussa aequalis permutationis faciant, permissum est, modo id de regis licentia fiat, ne ea ratione fraus legi nectatur (14). Ideo moris est, ut in permutandis ecclesiae bonis cum laicis, uti & in comparandis annuis reditibus, in casibus, in

(11) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 8. 12. 18. 21. & supp. 1. tit. 1. num. 2. 10. 19. 27. & 28.

(12) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 17. & supp. 1. tit. 1. num. 13. 14. & 18.

(13) Collect. reg. lit. par. 1. sup. 1. tit. 1. num. 24. & supp. 2. tit. 1. num. 7.

(14) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 19.

in quibus permissum est, consensus accedat fisci patroni Consilii exstirpandis abusibus instituti, vel *subdelegati* ab eo in regni provinciis (15).

Quod autem dictum est ecclesias, & religiosa loca bona adquirere non posse, quorum in legitima possessione sine contradictione non fuerint; id ita accipiendum est, ut si contradictio bonorum adeptionem praecesserit, aut eodem tempore facta sit, eam omnino impediat, ne ea bona amplius ecclesiis possint adquiri: sin consequuta fuerit, justa, & probabilis esse debet, ut quaesitam possessionem vitiosam reddat ex edicto praetoris, ut interdictis de possessione locus esse possit (16). Quod si, quum res ecclesiae adquireretur, lis ei ab aliquo fuerit mota, atque in ea judex possessionem ecclesiae addixerit data dilatione, seu termino super rei proprietate, olim ad regem erat referendum, ut ex adjunctis definiret, ecclesiae addicenda essent, an non bona, de quibus quaerebatur: sed hodie ejus rei definitio Sacro Consilio permissa est (17).

Quumque, ubi res emphyteutica ad dominum revertitur, dominus utile rei dominium ad-

(15) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 21.
(16) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 11.
(17) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 24. & supp. 2. tit. 1. num. 3.

adquirat ; hinc vetitum eſt , ne unquam res ab eccleſiis , lociſve religioſis in emphyteuſim datae , ad ea revertantur : ſed eae habeantur tanquam propriae emphyteutae , deque iis ſeu inter vivos , ſeu ultima voluntate pro arbitrio , adhuc in extraneos diſponere poſſit, modo ſtatutus canon ſolvatur , quem augeri nullo modo permiſſum eſt . Quod ſi ejusmodi res , vel ob canonem per triennium non ſolutum (id accipio , modo minus temporis ſpatium non fuerit in conſtituenda emphyteuſi expreſſum) vel ob rem inſigniter redditam deteriorem , in commiſſum inciderit , quibus ſolis caſibus res emphyteuticaria poteſt ad eccleſiam reverti ; debet eccleſia rem alii in empheyſim dare pro eodem canone, ſolutis ab eo priori emphyteutae emphyteumatis , ſeu meliorationibus . Et quia locatio ad longum tempus , hoc eſt ad decennium , pro emphyteuſi a noſtris ſcriptoribus habetur; idcirco in ea idem jus ſtatutum eſt , modo initio locatio ad decennium facta ſit (16) .

Quare , ſi cui fundus ad novennium fuerit locatus , ut eo finito liceat conductori ad aliud novennium fundum eadem lege retinere , ea locatio ad longum tempus minime

T cen-

(18) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 19. & ſupp. 1. tit. 1. num. 23. & 24.

censenda est (19). Quum autem dicimus licere emphyteutae rem emphyteuticam, cui voluerit vendere, aliave ratione alienare, id accipiendum est, modo laudemium ecclesiae solvat in iis contractibus, in quibus debetur, si scilicet vel conventum, vel solitum fuit solvi; quo casu laudemium est quinquagesima pars pretii (20).

Et quoniam ecclesiae, & religiosa loca nihil novi adquirere possunt; idcirco bona debitorum, si emtorem non invenerint, eis addici non possunt: sed a magistratu nomine tribunalis locanda sunt, ut annua pensio ipsis praestetur, donec emtor inveniatur (21).

Quumque ecclesiis omnis nova bonorum adeptio interdicta sit, si quid eis sub conditione relictum, & conditio post superiorem legem exstiterit, iis nihil amplius debetur. Parique ratione, si quis heres fuerit institutus, vel quid cui relictum, ejusque fidei commissum, ut post mortem ecclesiae restituat, quum onus restitutionis evanuerit, de eo pro arbitrio disponere potest, vel heredibus relinquere (22). Quod si cujus rei proprieta-

tem

(19) Collect. reg. lit. par. 1. sup. 1. tit. 1. num. 30. & 31.

(20) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 22. & 30.

(21) Collect. reg. lit. par. 1. num. 12.

(22) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 8. & supp. 1. tit. 1. num. 7.

tem ecclesiae, usumfructum alii testator legaverit, ne tunc quidem mortuo fructuario ecclesia usumfructum adquiret, sed proprietas usuifructui accedet (23). Quod ita sapientissimus rex ex regulis juris Romani declaraverat, ut, si quis esset ex usufructu heres institutus, & ecclesia heres ex proprietate; proprietas usuifructui accresceret, ideoque bona ad hujus heredes, seu ex testamento, seu ab intestato pertinerent. Sin cui legato, aliove particulari titulo ususfructus relictus esset, & proprietas ecclesiae; eo mortuo bona ad testatoris heredes, seu ex testamento, seu ab intestato redirent (24). Sed novissimis regiis litteris consulente Regali Camara S. Clarae datis XV. Kal. Septembres anni 1781. generatim statutum est mortuo herede fructuario bona ad legitimos testatoris heredes reverti: quoniam ecclesiis bonis adquirendis interdictum est, potissimum legitimorum heredum caussa.

Praeterea illud quoque constitutum est, si testator omnem hereditatem missarum oneri subjecerit, eam heredibus ab intestato dandam esse, qui saltem singuli singulas missas quotannis celebrandas curent (25).

(23) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 18.

(24) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 25. & 26.

(25) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 1. num. 14.

Ad haec si quis fundos ecclesiae longissimo tempore conductos habuerit, adhuc si conductio per triennia, sexennia, vel novennia fuerit renovata; poterit praelationem in ea conductione postulare, cujus rei cognitio ad magistratum pertinebit, qui ex adjunctis eam decernet, si conductio saltem per triginta annos steterit, & conductor fundos valde meliores reddiderit, ut faciem eorum immutaverit. Verum ea praelatio obtinere nequit, ubi ecclesia noluerit fundos iterum locare (26).

Nunc aliqua dicamus de rebus ecclesiae alienandis. Res ecclesiae sunt vel mobiles, vel immobiles. Mobiles facilius alienare licet, nisi sint vasa sacra, quae alienari non possunt, nisi ad rediméndos captivos, vel ad alendos pauperes tempore famis (27). Res immobiles vero, cujusmodi sunt urbana, vel rustica praedia, & quae in his sunt mancipia: item annonae civiles, & annui reditus, quae immobilibus comparantur, alienari nullo modo possunt: quoniam ea bona ad ecclesiae tuitionem, clericorum, & pauperum exhibitionem perpetuo servanda sunt.

(26) Collect. reg. litt. par. 1. tit. 1. num. 22. & supp. 1. tit. 1. num. 8. 32. & 35. & supp. 2. tit. 1. num. 4.

(27) L. sancimus 21. C. de sacrosan. eccl. & Novel. 7. cap. 8.

ſunt. Idque primi conſtituere Leo, & Anthemius, tum Anaſtaſius, & Juſtinianus confirmarunt (28). Alienationis vero nomine non ſolam rei immobilis diſtractionem intelligimus, ſed & hypothecam, & emphyteuſim, & uſusfructus conſtitutionem, & omnem contractum, quo vel res, vel fructus earum deminuuntur (29).

Quod ſi juſta ſubſit cauſſa, cujuſmodi eſt neceſſitas, pietas, aut utilitas ipſius eccleſiae, alienatio permiſſa eſt, modo apud acta fiat, & juſta cauſſa comprobetur, ut Anaſtaſius imperator conſtituit. Quare ex ea conſtitutione videntur bona immobilia eccleſiarum, & religioſorum locorum non aliter potuiſſe alienari, quam publici magiſtratus auctoritate, cui & juſta alienationis cauſſa fuit probanda, & apud acta peragenda. In alienatione vero bonorum eccleſiae & oeconomi, & clericorum, qui in ea erant conſtituti, conſenſus exigebatur: uti in alienatione bonorum monaſterii conſenſus erat neceſſarius, abatis, & monachorum: atque in alienatione bonorum hoſpitalium, conſenſus adminiſtratoris, miniſtrorum, & pauperum, ſeu peregrinorum, ſeu infirmorum, qui in iis erant

(28) L. jubemus 14. & L. privilegia 17. C. de sacroſ. eccl. & Novel. 7. cap. 1. & seqq.

(29) Dict. Novel. 7. cap. 1. 3. & 4.

erant, qui etiam videntur de justa alienationis caussa testati (30).

Verum quoniam omnium ecclesiarum dioeceseos procuratio ad episcopum pertinuit, episcopus vero nil magni momenti sine presbyterorum consensu instituere potuit; hinc merito Concilio Carthaginiensi I. cautum fuit, ne presbyteri in aliqua ecclesia constituti illius res venderent sine consensu episcopi, neque episcopus id faceret sine universo presbyterio (31). Male quidam ex hoc Carthaginiensis Concilii canone colligunt justam alienandorum bonorum ecclesiae caussam olim in synodo provinciali fuisse examinandam, atque ab ea alienationem fuisse permittendam. Etenim canon vetat bonorum ecclesiae alienationem *παρα γνωμην των ιδιων επισκοπων*, *sine scientia*, *sive inscientibus propriis episcopis*, neque id permittit episcopo *αγνουσης της συνοδε*, *η των ιδιων πρεσβυτερων*, *insciente synodo*, *hoc est propriis presbyteris*: *η* enim Graecis particula explicantis est, quae denotat *sive*, *id est*, *hoc est*.

At procedente tempore pro universi praesbyterii, consensus capituli adhibitus est: tum episcopus adhuc sine capituli consensu rerum ecclesiae alienationem permisit, atque alienationis caussam examinavit; quod olim ad

(30) Dict. L. privilegia 17. C. de sacros. eccl.
(31) Cap. placuit 51. caus. 12. quaest. 2.

ad publicum magiſtratum pertinuit. Idque duodecimo ſaeculo factum eſt, quum epiſcoporum crevit juriſdictio, atque tribunalia habere coeperunt. Tandem Paulus II. anno 1468. vetuit res eccleſiarum, locorumque religioſorum ſine ſummi pontificis adſenſu alienari: alienationiſque nomine etiam locationem ultra triennium comprehendi declaravit, ut ea ſine ſummi pontificis adſenſu ne permitteretur (32). Eoque jure utebamur, niſi quod locationes ultra triennium ſine ſummi pontificis adſenſu initae non cenſebantur illicitae, & ſaepiſſime contrahebantur.

Quumque ea res regiis juribus, & publicorum magiſtratuum juriſdictioni non parum officeret; merito ſapientiſſimus noſter rex alienationes bonorum immobilium eccleſiarum, locorumque religioſorum, ſaltem, quae ſunt laicae procurationis, voluit publica auctoritate celebrari, hoc eſt laici magiſtratus, cujus eſt juſtam alienandi cauſſam examinare, & probare: tum auctione alienationem permittere. Publicus vero magiſtratus, cujus auctoritate alienatio facienda, eſt cujuſque loci gubernator, ſi bona non amplius valeant, quam centuſſes centum: ſin valor eam ſummam excedat, ad principem eſt

(32) Extravag. ambitiosae, de reb. eccl. non alien.

referendum ; ideoque moris est , ut adsensus exigatur fisci patroni , qui adsidet Consilio exstirpandis abusibus instituto , qui alienationem comprobet (33) .

Quod si bona alicujus sodalitii fuerint , sodalium quoque consensus exigitur : quemadmodum si bona fuerint ecclesiae laici juris patronatus , patroni consensus necessarius est , sine quo alienatio nullius momenti est (34) .

CAPUT IV.

De decimis , aliisque parochorum juribus.

Restat aliquid dicendum de rebus incorporalibus , quale est jus exigendi decimas , similiaque jura ecclesiarum , potissimum parochialium . Et sane nihil tam naturale est, quam eum , qui a Deo optimo maximo bonis temporalibus donatus est , eisque abundat , aliquid ex iis Deo offerre in pios usus impendendum , quo & ipsum Deum dominum , datoremque omnium bonorum agnoscat , & altaris ministros , pauperesque exhibeat ; hinc merito fideles soliti fuere varias oblationes ecclesiis facere , eaeque ab ecclesiae patribus sum-

(33) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 36. num. 1.

(34) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 36. num. 1. & supp. 1. tit. 27. num. 7.

ſummopere commendabantur (1). In his praecipuae fuere oblationes decimae partis frugum, fructuumque fundorum, quae decimae dictae ſunt; quaeque ab eccleſiae patribus fidelibus commendatae ſunt, quaſi eſſent jure divino praeceptae. Quae res paulatim effecit, ut in Conciliis decimarum praeſtatio fidelibus imperaretur (2).

Hinc apud nos civilibus quoque legibus decimarum praeſtatio ſtatuta eſt: etenim & Carolus Magnus (3), & Lotharius imperator decimas eccleſiis ſolvendas juſſere: quin Lotharius voluit, ut, qui tertium moniti decimis ſolvendis ceſſaſſent, primum ingreſſu eccleſiae prohiberentur: deinde per publicos magiſtratus & multa pecuniaria, & aliis poenis plecterentur (4). Legibus quoque Normannorum, Suevorum, atque Andegavorum apud nos decimae fuere imperatae: immo ipſi reges, comites, & barones decimas praeſtitere, non modo ex fundorum fructibus, ſed etiam ex vectigalibus, aliisque exactionibus (5). Ex

(1) Conſtit. apoſtolic. lib. 2. cap. 25.

(2) V. Thomaſſin par. 3. lib. 1. cap. 7. 8. & 9.

(3) L. L. lib. 3. tit. 3. L. 1. & ſeqq.

(4) L. L. lib. 3. tit. 3. L. 6.

(5) Conſtit. quanto caeteris, de decim. praeſt. Cap. volumus, & mandamus 92. & Cap. item ſtatuimus, quod comites 93. Legatur Muratorius antiq. Ital. diſsert. 36.

Ex his facile intelligi potest decimas, quatenus sunt spontaneae oblationes, quae a divitibus fiunt ecclesiis, ut Deus dominus, & dator omnium bonorum agnoscatur, & clericorum indigentiae consulatur, naturali, & divino jure esse praeceptas: necessitatem vero omnibus fidelibus earum praestandarum impositam, & modum definitum, esse juris humani, pontificii scilicet, & civilis, potissimum vero juris non scripti, & consuetudinis, quam in singulis locis spectari oportet (6).

Quamvis vero jure pontificio, & civili decimae omnibus fidelibus imperentur; tamen parochi, & ii, quibus earum exigendarum jus est, haud debent nimium aspere earum exactionem urgere, potissimum a pauperibus, quibus ipsi potius tenentur subvenire, quam ab iis quidpiam exigere. Hinc merito Carolus Borbonius jussit parochos, quibus reditus suppetunt, quibus se, & ecclesiam tueantur, decimarum exactione abstinere debere, atque ita saepissime Sacrum Consilium definivit (7): & Ferdinandus filius prudentissimus noster rex generatim jussit parochos, qui in reditu habeant centusses centum pro sua ipsorum exhibitione, & centusses triginta pro ecclesiae tuitione, de-

(6) S. Thomas 2. 2. quaest. 86. art. 4.
(7) Collect. reg. lit. part. 1. tit. 21. num. 3.

decimis exigendis abſtinere debere : ea prohibitione minime eſſe comprehenſas decimas, quae jure dominii exiguntur, quas vulgo *praediales* appellant : nec etiam eſſe comprehenſas decimas debitas eccleſiis cathedralibus, collegiatis, aliisque pro miniſtrorum exhibitione : nec decimas abatibus, & quibuſdam clericis beneficia poſſidentibus ; nec quartas decimarum, quas epiſcopi ab eccleſiis dioeceſeos exigunt : ſi de ea re quaeſtio inciderit, publicos magiſtratus eſſe adeundos. Permiſitque univerſitatibus ſupra dictam ſummam parochis aſſignare, & cives decimarum praeſtatione liberare (8).

Illud etiam non omittendum regios fundos, potiſſimum, qui ſunt in Apulia, eorumque colonos a decimarum praeſtatione eſſe exemtos ; de qua re olim fuit dubitatum (9).

Non ſolas decimas fideles eccleſiis obtulere, ſed ſaepiſſime oblationes faciebant, potiſſimum in ſacrificio miſſae, & in ſacramentis recipiendis, atque in defunctorum ſepultura ; quae oblationes in consuetudinem abiere, atque iis neceſſitas praeſtationis addita ; quae hodie jura parochorum nuncupantur. De iis hae regulae tenendae ſunt, in ejusmodi exactionibus cujusque loci conſue-

(8) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 21. num. 7. & 8.

(9) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 21. num. 6.

suetudinem esse servandam, nec parocho licere plus, quam consuetum exigere; idque in decimarum quoque exactione obtinere (10): si de ea non constet vicinorum locorum consuetudinem esse spectandam: nec licere parocho plus pro sepultura exterorum, quam civium, aut plus pro sepultura coelibum, quam maritorum exigere, aut praestationem pro sepultura ab ea, quae extero nubit, postulare, nec residuum cerae, aut quartam funerariam a defuncti haeredibus petere: licitum vero ei esse ejusmodi praestationem ab ea ecclesia petere, in qua mortuus sepelitur, si id loci consuetudo ferat: permissum vero esse morienti, ejusque heredibus, in qua ecclesia maluerint, sepulturam eligere, uti & quos voluerint seu clericos, seu monachos ad funus vocare, nec quemquam praeter parochum ad funus necessario esse vocandum: parochos pro ejusmodi exactionibus, uti & decimarum, publicos magistratus adire oportere, nec posse episcopos adire, qui detrectantes ecclesiasticis censuris ad solutionem compellant: ab egenis omni exactione abstinere debere (11).

CA-

(10) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 21. num. 2. & tit. 18. num. 16.

(11) Collect. reg. lit. part. 1. tit. 17. num. 3. 4. 7. 8. 9. 10. 16. & 18. & tit. 21. num. 1.

CAPUT V.

De regalibus.

SEquitur, ut de rebus humani juris dicamus. Res humani juris quaedam communes, quaedam publicae, quaedam universitatis, quaedam denique sunt singulorum. Et quoniam res communes, & publicas regalia apud nos esse scriptores tradunt; idcirco hoc loco aliqua de regalibus tradenda sunt, ut communium, & publicarum rerum natura enucleatius exponatur.

Regalia, ut ipsum vocabulum denotat, dicuntur, quaecunque ad regem pertinent; ideoque regalia nuncupamus jura, & bona, quae principis sunt. Hinc prima, & praecipua regalium divisio in jura regalia, quae jura majestatis elegantius nuncupantur, & bona regalia, quae publica veteres dixere. In ejusmodi bonis, & juribus regalibus designandis nostri scriptores interdum ad jus Romanum, saepissime ad Friderici I. constitutionem provocant (1). Sed male: quum jura majestatis non ex civilibus legibus, sed ex naturalibus, & gentium, atque ex cujusque reipublicae constitutione sint repetenda; & quae de ea re in jure Romano occurrunt, non

(1) Lib. 2. feud. tit. 57.

non ad omnes respublicas, sed ad solam Romanam pertinuere: Friderici vero constitutio conventio fuit Constantiae habita, qua Fridericus I. regalia quaedam civitatibus Lombardiae concessit, quaedam sibi retinuit, ut Guntherus, & abas Urspergensis scribunt (2).

Quum igitur jura majestatis ex jure naturae, & gentium sint repetenda, atque ex cujusque civitatis, seu reipublicae constitutione; civitates vero coaluerint communis utilitatis promovendae, & publicae securitatis stabiliendae gratia; hinc est, ut principis sit publicam securitatem, & commune civium bonum seu adversus hostes, seu adversus ipsos cives tueri, atque ea facere jus habeat, quaecunque ad eam rem conducunt. Idcirco praecipua majestatis jura sunt legum ferendarum potestas, atque ex legibus suum cuique tribuendi, & in facinorosos animadvertendi, seu summa jurisdictio, atque imperium: magistratuumque creatio, per quos suum quisque consequatur, & facinorosi plectantur: tributorum, & vectigalium, unde sumtus pro reipublicae necessitatibus suppetant, constitutio, atque exactio. Praeterea, ut adversus hostes cives tueatur, jus belli, & pacis, foederum, induciarum, & legatorum ei competunt. Quorum priora jura majestatis *immа-*

(2) Cujacius lib. 5. feud. ad tit. de jur. fisci, & ad tit. de pace Constantiae.

manentia, posteriora *transeuntia* vulgo appellantur. Bona vero regalia sunt quaecunque principi tributa sunt, ut ex iis sumtus, quos oportet, faciat: cujusmodi sunt publici fundi, vectigalia, bona damnatorum, vacantia, atque his similia.

De juribus majestatis quamvis ex legibus naturalibus, & gentium sit dijudicandum; tamen abs re non erit aliqua hic monere, quae nominatim nostris legibus cauta reperiuntur. Et quidem principio, quum legum ferendarum potestas principis sit, ejusdem erit eas solvere, seu, ut vulgo ajunt, in iis *dispensare* (3). Quumque commutatio voluntatis testatoris, legum solutio sit, quibus cautum defunctorum voluntates ratas futuras; hinc ea ad solum principem spectat, adhuc si legata pia, & missarum celebrationem respiciat (4).

Et quoniam principis est publicam tranquillitatem tueri: atque ex novis rebus saepe detrimentum publica tranquillitas capit; hinc nihil novi principe insciente licet moliri. Eaque de caussa omnes pontificiae constitutiones, sive *bullae*, *brevia*, & decreta summi pontificis, & tribunalium urbis Romae, aut superiorum monachorum, qui extra

(3) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 6. num. 1.

(4) Collect. reg. lit. part. 1. tit. 5. num. 1. & 4. & supp. 1. tit. 5. num. 1. 2. & 3.

tra regnum sunt, & generatim quibuscunque scripturis ab iis, qui extra regnum sunt, cujusvis rei exterior exsecutio imperatur; eam mereri nequeunt sine regio adsensu, quem *regium exsequatur* vulgo nuncupant; uti, & scripturae extra regnum datae nullam fidem apud nos faciunt, nisi regis permissione receptae sint, quod *recipiatur* appellant (5).

Forma vero, qua regius adsensus *bullis*, *brevibus*, aut decretis summi pontificis, aut tribunalium urbis Romae impetratur, ea est, ut hujusmodi scripturae in curia Cappellani Majoris exhibeantur cum supplici libello, quo a principe regius adsensus petitur: Cappellanus Major ad regem refert: eaque relatio ad Regalem Camaram S. Clarae mittitur, quae regium praestat adsensum: si quis contradictor exstiterit, apud Cappellanum majorem, aut Regalem Camaram S. Clarae audiendus est. Quod si eo audito fuerit regius adsensus praestitus, nulla ulterius tribuitur provocatio, nisi novae allegationes proponantur, cur merito princeps provocationem admittat. *Bullae* vero, quibus *episcopatus*, aut *archiepiscopatus* conferuntur, cum supplici libello ipsi principi offerendae sunt, a quo ad Cappellanum Majorem remittuntur, qui relationem ad Regalem Cama-

(5) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 7. num. 4. 5. & 9. & supp. 1. tit. 6. num. 2. & 3.

maram S. Clarae transmittit (6). At externarum scripturarum recipiendarum venia a Regali Camara S. Clarae obtinetur, exceptis iis, quae in tribunali Commercii exhibendae ſunt, quarum recipiendarum veniam idem supremum tribunal indulget (7).

Et quoniam princeps ſine bonis, reditibuſque nequit se, familiamque exhibere, & ſumtus pro communi utilitate facere; idcirco in unaquaque civitate, seu republica bona principi tributa ſunt, quibus ejuſmodi sumtus faciat, quae regalia bona dicuntur. Quae, qualia ſint, ut intelligamus, animadvertere oportet bona omnia, quae in civitate ſunt, trium eſſe generum: quaedam enim imperio principis sunt, proprietate ſingulorum: quaedam imperio principis, proprietate nullius: quaedam denique imperio, & proprietate principis.

Imperio principis, proprietate ſingulorum sunt bona, quae in civium dominio sunt; quo & res univerſitatis referri poſſunt, quarum proprietas ad univerſitatem pertinet. Ejusmodi seu civium, seu univerſitatum bona principis eſſe dicuntur, quod de iis leges ferre poſſit: iis tributa, & vectigalia quaeat imperare: iis denique, ſi opus ſit, utatur, ea-

 que

(6) Collect. reg. lit. par. 1. tit. 7. num. 7.

(7) Prag. 1. de off. Reg. Cam. S. Clar. & Collect. reg. lit. par. 1. tit. 6. num. 6.

que civibus auferat, seu in poenam, seu ob publicam necessitatem, utilitatemve; in quo situm est imperium principis in ea bona, quod dominium *eminens* vulgus nuncupat.

Imperio principis, proprietate nullius sunt, quaecunque in civitate in nullius dominium venere, ut flumina, portus, atque his similia. Haec ideo principis esse dicuntur, quod non modo de iis leges ferre possit, tributa, & vectigalia imperare, atque iis uti: sed etiam eorum usu civibus interdicere, atque omnem ex eis reditum sibi reservare: quum nemini faciat injuriam, quod ea bona nullius sint in dominio. Atque ejusmodi bona veteres publica, quasi populica dixere, hodie regalia nuncupantur, quum olim majestas penes populum Romanum esset, hodie sit penes principem, seu regem.

Denique imperio, & proprietate principis ea sunt, quorum is plenum habet dominium, ut sunt regii fundi, tributa, vectigalia, bona vacantia, atque his similia, de quibus princeps pro arbitrio, ut dominus, disponit. Atque haec quoque bona veteres publica, nos regalia nuncupamus.

Ex his intelligitur discrimen, quod inter ea bona intercedit: nam quamvis princeps possit tributa, & vectigalia civium bonis imperare; tamen nequit, nisi ex justissima caussa, omnem eorum reditum sibi vindicare, eaque civibus auferre: quum contra publicarum rerum

rum possit pro arbitrio sibi omnem utilitatem reservare, civibusque usu interdicere: quoniam eis injuriam non facit, quum ea bona in nullius sint dominio. Nisi vero sibi omnem, aut certum reditum ex iis bonis reservaverit, aut alii concesserit; usus, atque utilitas omnibus, potissimum civibus censetur permissa. Denique bona, quae in ipsius principis dominio sunt, omnem utilitatem, fructumque principi afferunt, deque iis pro libitu, ut dominus, disponit: quique ea occupat, aut reditus, fructusque subripit, furti reus est.

Quoniam autem, quaecunque imperio principis sunt, proprietate nullius, ea regalibus accensenda sunt: publicae vero res tales sunt, non vero communes, uti aër, aqua profluens, & mare, quae vel vastitate, vel mobilitate sua omne dominium respuunt: quin & ipso principis imperio exemta sunt; hinc sequitur illas, non has regalium numero habendas. Verum, quum litora, &, quae proxima litoribus sunt, maria, mariumque sinus sub imperio sint principis; idcirco ad regalia referenda sunt. At enim jure Romano mare, marisque litora communibus non publicis rebus accensentur. Sed, ut taceam jus Romanum in hoc argumento parum valere; quod mare spectat, quum illud communibus rebus adnumeratur, ajo intelligendum esse de pelago, altoque mari, quod nullius in dominio est, nec sub

alicujus principis imperio: non vero de maris extremitatibus, quae regna adluunt, finibusque, qui veluti terra concluduntur; quae nemo ire potest inficias sub imperio principis esse. Litora autem in rebus communibus connumerari puto, vel quae deserta sunt, atque inhospita: vel caetera, sed minus proprie, quatenus maris accessio esse videntur perinde, ac ripae, quatenus fluminum sunt accessiones, rebus publicis accensentur. Et profecto quis sanae mentis imperium principi in litora negabit? Eaque de caussa Pomponius litora publica esse nos docet (8). Eadem de caussa viae ad regalia referendae sunt, quoniam eae imperio sunt principis, proprietate nullius.

Praeterea quum flumina omnia, & quae navigabilia sunt, & ex quibus navigabilia fiunt, & quae navigabilia non sunt, neque influunt in navigabilia, imperio sint principis proprietate nullius; hinc flumina generatim omnia ad regalia refero. Neque ad rem facit quod Fridericus I. imperator sola ea flumina inter regalia retulerit, quae navigabilia sunt, & ex quibus navigabilia fiunt: quoniam, ut dictum est, de regalibus non est pronunciandum ex Friderici constitutione, quae ad nos nequaquam pertinet, quaeque conventionem continet inter imperatorem & Lom-

(8) L. quamvis 50. D. de acq. rer. dom.

Lombardiae civitates: ſed potius ex jure naturae, & gentium, & cujuſvis reipublicae conſtitutione. A fluminibus vero ſeparandi ſunt rivi, & torrentes: nam hi, ſi in publico loco oriantur, & per publica loca profluant, publicarum in numero rerum, ideoque regalium ponenda sunt: ſin in privatorum fundis orti per eos profluant, regalium numero excludendi ſunt, quod proprietate ſingulorum, ſolo imperio principis ſint.

Quumque, ut dictum eſt, publicarum rerum uſus ad omnes, potiſſimum cives pertineat, niſi princeps omnem uſum, atque reditum ex iis ſibi reſervaverit, aut alii conceſſerit; hinc fit, ut in fluminibus cuivis liceat navigare, piſcari, & agros irrigare, niſi nominatim princeps hos reditus ſibi ſepoſuerit, aut alii conceſſerit. De ea re teſtis eſt Sebetus, qui quamvis publicus fluvius ſit, tamen omnibus licet in eo navigare, piſcari, aquam ad irrigandos fundos ducere, & moletrinas, ad terendum frumentum exſtruere. Atque hinc intelligimus, quam perperam rationes ineant, qui putant flumina baronibus feudi jure cenſeri conceſſa, atque ea re hominibus feudi non eſſe permiſſum in iis piſcari, ex iis aquam ad irrigandos agros derivare, aut moletrinas exſtruere: vel moletrinas, quae in feudo ſunt, cenſendas eſſe feudales, quod aqua, quae feudalis eſt, moveantur. Etenim, ut

saepe dictum est, nisi princeps certum fluminis usum civibus vetuerit, sibique servaverit, aut alii concesserit, omnis est censendus civibus permissus. Quare nisi ex concessione, aut ex legitima praescriptione constet ejusmodi fluminum usum baroni fuisse tributum, eum sibi vindicare nequaquam posse ajo; quamvis feudum ei fuerit concessum *cum fluminibus aquis, aquarumque decursibus*: nec magis ex ejusmodi concessione posse sibi omnem fluminum, aquarumque usum vindicare, quam potest omnes montes, silvas, & saltus sibi adserere, quod feudum sibi fuerit concessum *cum montibus, silvis, & saltibus*.

Jam de iis, quae imperio, & proprietate principis sunt, seu de bonis, quae sunt in dominio principis aliqua dicamus. Quaenam bona ejusmodi apud nos sint, non ex jure Romano, neque ex Friderici I. constitutione, sed ex nostris legibus, & moribus erit definiendum. Et sane ad regalia referendi sunt regii fundi, ut regia Apuliae pascua, saltus, & nemora: tributa, & vectigalia, de quibus capite sequenti dicemus: bona vacantia, & damnatorum: emolumenta publicorum munerum: etenim ad principem pertinet non solum magistratus creare, sed etiam publica munera conferre, quorum quum pleraque locari, aut vendi soleant, emolumenta, quae ex his redeunt, ad regalia merito re-

referenda sunt. Quaenam vero ea sint, nostris legibus definitum est, quibus etiam cautum munus juris dicundi nec vendi, nec locari posse (9).

De his publicis muneribus illud jure nostro cautum est, si cui vel in allodium fuerint principis liberalitate concessa, ea neque sine regio adsensu alienari posse, neque ad alios heredes transire, quam ad eos, qui jure nostro ad feuda queunt succedere: contra si quis ea titulo oneroso comparaverit, & pro libitu ea potest alienare, & ad quosvis heredes sive ex testamento, sive ab intestato transmittere. Quoniam in iis nihil innovandum duxit Carolus II. & olim publica munera in allodium concessa generatim omnia sine regio adsensu poterant alienari, & ad quosvis heredes ex testamento, & ab intestato transibant (10).

De piscatione, venatione, thesauris, salinis, & fodinis quaerunt interpretes, utrum ad regalia sint referenda. Et de piscatione sunt, qui affirmant, quod in Friderici I. constitutione *piscationum reditus* recenseantur: sunt qui negant, quod ibi legendum, putent *picariarum reditus*, uti in jure Romano ha-

(9) Pragm. 2. de off. ad Reg. Majest. coll. spect. & Collect. reg. lit. par. 2. num. 2. 4. & 10.

(10) Pragm. 3. de off. ad Reg. Majest. collat. spect. Rovitus dec. 72.

betur (11). Sed quoniam, ut saepe monui, neque jus Romanum, neque Fridericiana constitutio hac in parte spectanda sunt: & quoniam flumina, & maria, quae terram adluunt, publica sunt, ex quibus permissum est principi omnem reditum, si libuerit, sibi reservare; hinc fit, ut piscatio, quae principi reservata non est, omnibus intelligatur permissa. Ideoque ad regalia referri nequit, nisi in certis locis, aut certum genus piscationis, quod princeps sibi reservavit, aut alii concessit, de qua re ex cujusvis loci consuetudine erit dijudicandum.

Idem paene judicium est de venatione. Sed quoniam venatio semper apud nos principi fuit reservata, ut nunquam licuerit civibus sine principis licentia venari, idcirco venatio inter regalia erit adnumeranda. Idque declaratum fuit regiis litteris datis in proximo mense Aprili hujus anni 1784. quibus vetitum, ne quis venaretur, nisi de principis licentia, aut baronis, cui id juris a principe esset concessum; quo casu optio civium esset de baronis, aut principis licentia venari.

De thesauris exstat Guillelmi I. constitutio, qua statuitur, quicunque pecuniam, aurum, argentum, lapillos, aliave id genus invenerit, ea debere justitiariis, vel bajulis ma-

(11) L. inter 17. §. 1. D. de verb. signif.

manifestare, & ad Magnam Curiam deferre, ne furti teneatur: easque res intra annum posse a dominis recuperari, postea vero nequaquam. Ejusque constitutionis hanc reddit rationem: *Scire enim debet unusquisque inventiones omnes regni nostri, quarum dominus non apparuerit, ad fiscum specialiter pertinere* (12). Ea constitutio licet ad thesauros non videatur pertinuisse, sed potius ad res recens defossas, aut deperditas; tamen ab ipsa Guillelmi aetate ad thesauros quoque fuit producta. Quare Carolus I. Andegavus quaestiones de thesauris constituit, & formam, qua eae procederent, definivit (13).

At Carolus II. Andegavus abolita Caroli I. lege Hadriani constitutionem recentavit: jussit enim thesaurum ad inventorem pertinere in suo ipsius loco inventum: in alieno vero, inter inventorem, & dominum soli esse dividendum: uti in publico loco reperti medietatem ad fiscum spectare: magicis, & sceleratis artibus quaesitum a fisco occupari (14). Atque hoc jure uti debemus, quod nulla sequuta lege apud nos abrogatum est. Quod, si quando a fisco de thesaurorum inventione quaeritur, aut nostris legibus cautum

(12) Constit. pecuniam, de pecun. invent. in reb. alien.

(13) Cap. praedicti magistri procuratores 34.

(14) Cap. quia non decet, de thesaur.

tum legimus, ut de thesauris Regia Camara cognoscat; id ita accipiendum est, ut cognoscat, num sceleratis artibus sit quaesitus, vel in publico inventus (15).

De metallorum fodinis, & salinis idem Carolus II. ita constituit: *non tamen auri, argenti, caeterorumque metallorum fodinas, aut salinas, & jus quod in eisdem fodinis, salinisque curiae nostrae competit, & ab antiquo competit annumerari volumus thesauri vocabulo* (16). Quibus verbis metallorum fodinas, & salinas non ideo a thesauris separat, quod eas voluerit plane ad principem pertinere: sed, quod in iis sibi antiquum jus, & vectigal servarit. Etenim adhuc apud Romanos ex ejusmodi fodinis metallicus canon pendebatur, qui pro cujusvis loci consuetudine varius fuit: ex lapicidinis vero decima fisco inferebatur (17). Sed apud nos generatim receptum est ex metallorum fodinis, atque ex alumine decimam fisco praestari (18). Salinae vero prohibitae sunt, quum salis venditio ad regalia apud nos pertineat (19).

CA-

(15) Afflictus decis. 321. & ibi Ursillus.
(16) Dict. Cap. quia non decet, de thesauris.
(17) L. 1. 2. 3. 5. et 6. C. de metallar.
(18) Afflictus d. decis. 321.
(19) Pragm. 2. de sal. vend.

CAPUT VI.

De tributis, & vectigalibus.

QUoniam *neque quies reipublicae sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt*, (1) hinc fit, ut principi liceat tributa, & vectigalia imperare, atque exigere. Et sane Romani sub imperatoribus praeter vectigalia, quae ex mercibus solvebantur, pensitabant tributa, indictiones, superindicta, annonas civiles, atque extraordinarias praestationes: nec non operas debebant, quales erant angariae, & parangariae. Tributa trium fuere generum, soli scilicet, quae jugatio dicebatur, capitis, quae capitatio nuncupabatur; quamvis interdum eo vocabulo omne tributum denotaretur: & artificii, seu industriae, quod ii solvebant, qui artem illiberalem exercebant. Indictio quindenis annis imponebatur, & praestationem auri, argenti, atque aeris, & ferri continebat. Si quid supra eam formam imperaretur, superindictum nuucupabatur. Extraordinariae praestationes indicebantur, quum novae reipublicae necessitates acciderent. Annonae civiles ex certis generibus solvebantur, veluti quinquagesima tritici, qua-

(1) Tacitus lib. 4. hist.

quadragesima hordei, quintadecima carnis, & laridi. Angariae, & parangariae erant praestationes curruum, & jumentorum, operarumque pro vehendis, transportandisque publicis rebus (2).

At, ubi in Italia regnare coepere Langobardi, tributa omnia desiisse videntur: quoniam nulla tributorum mentio in eorum legibus occurrit: sola vectigalia, quae telonia nuncupabant, exigebantur. Atque ex his, necnon ex reditibus publicorum fundorum abunde erat regi, ducibus, & comitibus, unde necessarios sumtus facerent, potissimum, quod onus militiae ad omnes cives pertineret.

Idem paene institutum sub Normannis Suevis, & Andegavis apud nos videtur durasse, ut nulla tributa, sed sola vectigalia exigerentur. Sed quum publici fundi defecissent, quod paene omnes feudi jure baronibus fuissent concessi: & militia non minimo oneri regi esset, quoniam barones certo militum numero sub signis merere debebant, ac stato tempore suis sumtibus: si major militum copia esset necessaria: aut bellum ulterius esset producendum; impensae abs rege erant subministrandae; hinc factum, ut saepissime Normanni, Suevi, atque Andegavi reges extraordinarias praestationes imperarint,

(2) Legatur tit. 16. 17. & 18. lib. 10. C.

-rint, quas *collectas* sive *tallias* nuncuparunt. Quare novimus & Henricum VI. collectam anno 1197. indixisse, & Fridericum II. plurimas imperasse, & Conradum imposuisse (3).

Forma vero hujusmodi extraordinariarum praestationum exigendarum talis fuit, ut integra summa, quae imperabatur in omnes urbes, pagos, & vicos nostri regni divideretur: tum in qualibet urbe, pago, vicove exactor constitueretur, qui a singulis civibus pro modo facultatum pecuniam exigeret, ut intelligere licet ex exactione collectarum, quæ facta est anno 1269. & 1271. Carolo I. rege (4).

Quamvis vero sub Normannis, Svevis, & Andegavis cives plerumque nulla tributa penderent; tamen uti sub Langobardis servi, & adscriptitii censum capitis solverunt, ita sub Normannis, Suevis, atque Andegavis rustici, seu coloni, sive mares essent, sive feminae censum capitis pensitarunt, qui videtur fuisse tariorum trium, ut legere licet ex litteris Caroli II. quibus Marino Siginulfo militi annuas uncias viginti concessit,

(3) Riccardus a S. Germano in chron. ad an. 1197. 1223. 1225. 1227. 1228. 1231. 1235. &c. & Matthaeus Spinellus in ephem. Neap. ad an. 1250.

(4) Regest. an. 1271. lit. B. fol. 57. & regest. an. 1269. lit. C. fol. 168. apud Chiaritum in append. ad cap. 1. par. 3. & cap. 2.

sit, quas a rusticis exigeret, in quibus nominantur Angelus Cacciatus, & Pathe Lanchella uxor, qui singuli tarios tres quotannis debebant (5).

Quando vero regnum ad Alfonsum Aragonium pervenit, is militiae onus in se recepit, atque a baronibus pro militibus pecuniam praestari voluit, quae *adoha* dicta est, comitiisque XII. Kalendas Martias anni 1442. omnibus praestationibus sive *collectis* ordinariis, atque extraordinariis sublatis *praeter collectas coronationis, maritagii, & redemtionis personae suae, quod absit*; decem *liliatos*, sive *carolinos* singulis domibus, seu familiis (*focularia* nuncupant) quotannis imperavit, quibus medimnum, seu *tuminum* salis pollicitus est (6). Tum anno 1449. alii carolini quinque, & asses duo pro mensione additi fuere (7).

At ubi Ferdinandus Catholicus rerum potitus est, is, sequutique reges saepissime munera a civibus petiere, quae *donativa* nuncupabantur. Quumque interdum, ut pecunia pro his muneribus conficeretur, annui reditus venderentur; hinc tributum a familiis praestari consuetum paulatim auctum est, ut sub medium praeteriti saeculi carolini unus, &

(5) Regist. an. 1301. lit. A. & E. fol. 135.
(6) Tom. 1. privil. & gratiar. cap. 1. 2. & 10.
(7) Regest. Curiae 2. an. 1451.

& quinquaginta a singulis familiis exigerentur; nec amplius iis medimnus salis tribueretur, quippe qui jam usque ab anno 1607. regi fuerat remissus (8).

Verum anno 1648. annua praestatio singularum familiarum, sive domorum ad carolinos duos, & quadraginta fuit redacta, quae *ordinariae functiones fiscales* dictae sunt (9). Sed procedente tempore extraordinariae praestationes identidem imperatae sunt, *extraordinariae functiones fiscales* nuncupatae ad summam carolinorum quatuordecim, scilicet initio asses duo, & septuaginta indicti: tum carolinus unus: & denique asses septem, & quinquaginta. Tandem sub Ferdinando IV. felicissimo nostro rege alii carolini septem additi sunt, duo scilicet pro viarum munitione, & quinque pro abolito jure prohibendi venditionem Nicotiani pulveris, & foliorum.

Quamvis vero superior praestatio omnibus civibus ab Alfonso fuerit indicta, ut etiam familiarum Neapolitanarum videatur facta numeratio; tamen non multo post seu ob Ferdinandi I. privilegium, seu ob difficultatem nulla amplius Neapoli, atque in vicis, qui in Neapolitano sunt territorio, fami-

(8) Pragm. 2. de sal. vend.
(9) Pragm. 5. de abolitionibus.

miliarum facta est numeratio, nec tributa exacta, sed vectigalia ex mercibus.

Verum enim hae ordinariae, atque extraordinariae *fiscales functiones* in regni provinciis a singulis familiis sive domibus nequaquam exiguntur, sed ab universitatibus, quae illas pro numero familiarum solvere debent. Universitates vero pecuniam ad eam rem vel ex tributis, vel ex vectigalibus conficiunt. Quamvis enim Carolus Borbonius jusserat in quavis universitate tributa esse exigenda, ideoque descriptionem bonorum civium (*catastum* dicimus) esse faciendam; tamen prudentissimus noster rex consulente Tribunali Mixto permisit singulis universitatibus in publicis comitiis deliberare pecuniam ad publicos usus ex tributis malint, an ex vectigalibus exigere: eamque deliberationem vel ecclesiasticas personas sequi oportere (10).

Ut autem intelligamus, qua ratione tributa a civibus praestanda sint, quibus in locis tributa exiguntur, principio scire oportet ea trium esse generum, scilicet tributa bonorum, sive rerum, tributa capitis, & tributa artificii, seu industriae, quae *brachiorum* vulgo appellant. Tributum bonorum pendunt, quicunque bona possident, quae annuum reditum dant, cujusmodi sunt urbana, &

(10) Collect. reg. lit. par. 2. tit. 86. num. 31. & 32.

& rustica praedia, item annui reditus, quos *census consignativos* appellant, pecunia credita, ex qua usurae redeunt, & pecunia in negotiationem collocata: necnon greges, atque animalia, ex quibus fructus provenit. Eaque omnia bona aestimanda sunt non ex veritate, sed ex reditu, ut pro quincunci reditu sors conficiatur; nisi quod sors gregum, atque animalium ex decunci reditu conficitur, ut seni carolini, qui ex reditu gregum, animaliumque quotannis proveniunt, unciam dent: ex reliquis vero bonis terni carolini unciam sortis conficiant.

Immunia vero sunt ab hoc tributo bona, quae proprio domini usui sunt, veluti domus habitationi destinata, & conjunctum viridarium, equi, & currus, quibus dominus utitur, & similia: bona parochiarum, hospitalium, & seminariorum: caeterarum vero ecclesiarum, & locorum religiosorum bona medietatem tributi inferre debent: pariter immunia a tributo sunt bona destinata exhibitioni subdiaconorum, diaconorum, & presbyterorum, quae vulgo *sacrum* illorum *patrimonium* nuncupatur; de qua re superius dictum est.

Praeterea immunia sunt a tributo bona feudalia, cujusmodi sunt res soli, quae feudi jure possidentur, atque animalia ad instructionem feudi, quoniam pro his *adoha* praestatur. Quod si quaestio inciderit, utrum bona feudalia sint, an non; donec ea quaestio

X a Re-

a Regia Camara Summariae fuerit definita, bona, ex quibus *relevium* fuit fisco solutum, feudalia habentur, reliqua feudalia non habentur. Quod si cui bona feudalia in emphyteusim, aut perpetuo colenda data fuerint; emphyteumata, seu *meliorationes* feudalia non censentur; ideoque emphyteuta, sive colonus ex his tributa debebit.

Ad haec immunia a tributo sunt bona civium Cavensium, qui in patria habitant. Civium vero Neapolitanorum annui reditus immunes sunt a tributo: bona vero stabilia nequaquam. Item bona eorum, qui a Regia Camara Summariae declarati sunt patres duodecim filiis onusti, ea scilicet, quae possidebant, antequam sententiam a Regia Camara obtinerent, non quae postea comparaverunt. Nisi quod ea bona tributum inferunt pro expensis, quas universitates pro communi civium bono faciunt, quarum commodum ipsi bonorum domini sentiunt. Illud quoque non omittendum viduas hujusmodi personarum, scilicet civium Cavensium, Neapolitanorum, & patrum filiis onustorum eodem privilegio uti, quo earum viri utebantur. Denique bona virginum & viduarum, quae reditum non dant centussium sex, tributum minime pendunt.

Tributum capitis, quod plerumque est carolinorum decem, solvunt soli patresfamilias, & qui patrumfamilias loco sunt. Ab eo tributo exemti sunt clerici etiam

iam minores, impuberes, & feminae: item exemti ſunt divites, qui ex bonorum reditibus vivunt, vel nobilem profeſſionem exercent, quales ſunt cauſſidici, medici, notarii, & judices ad contractus, modo aliam artem illiberalem non faciant: & denique ſexagenarii. Sed hi omnes ab hoc tributo eximuntur, ſi ſummam carolinorum decem non excedat: nam ſi exceſſerit, quod ſupra eam ſummam eſt, ſolvere debent.

Tributum denique artificii, ſeu induſtriae ii ſolvunt, qui artem illiberalem exercent. Ab eo plane immunes ſunt clerici etiam minores, impuberes, mulieres, divites, qui ex bonorum reditibus vitam degunt, quique artem illiberalem minime exercent: puberes vero ante annum duodevigeſimum medietatem tributi capitis, atque artificii pendere debent.

Illud quoque non omittendum tributa bonorum immobilium ibi ſolvenda eſſe, ubi ſita ſunt, uti etiam tributa *cenſuum*: tributa vero annuorum redituum, ſeu *cenſuum conſignativorum*, & pecuniae ſub uſuris creditae in patria debitoris pendi oportere: tributa denique caeterorum bonorum, veluti animalium, vel pecuniae in mercimonia collocatae, necnon tributa capitis, & artificii, ſeu induſtriae in propria patria eſſe ſolvenda. Quod eo ſpectat, ut intelligamus ex iis reditibus, quae ex certis bonis proveniunt, tributa ſolvi in loco, ubi bona ſita ſunt: quae vero ex

certis bonis non proveniunt, sed ex omnibus debitoris debentur, ex iis solutionem fieri in patria debitoris: ex reliquis in patria domini.

Ex his autem tributis in quavis urbe, pago, vel vico publicis oneribus satisfaciendum est. Publica vero onera sunt *functiones fiscales* ordinariae, atque extraordinariae, usurae creditoribus universitatis debitae, qui creditores *instrumentarii* nuncupantur, & denique expensae, quae pro communi civium bono singulis annis faciendae sunt.

Ad *fiscales functiones* ordinarias, nempe ad carolinos duos, & quadraginta annuos in singulas familias, seu *focularia*, non soli cives, adhuc si nil possideant, sed etiam exteri, qui bona in territorio universitatis possident, conferre debent pro numero unciarum, quae in libro censuali, vulgo *catasto*, descriptae sunt.

Ad annuos carolinos septem, duos scilicet pro viarum munitione, & quinque pro libera venditione Nicotiani pulveris, & foliorum soli illi conferunt, qui bona possident, seu cives sint, seu exteri. Praeterea exteri, qui in urbe, locove habitant, praeter supra dictum tributum bonorum, solvere debent annuos carolinos quindecim pro jure habitationis, & conferre ad omnes expensas, quae pro communi civium bono fiunt, quarum ipsi commodum sentiunt.

Ci-

Cives omnia universitatis onera subire debent, scilicet functionum fiscalium ordinariarum, atque extraordinariarum, usurarum creditoribus universitatis debitarum, atque expensarum omnium, quae pro communi utilitate faciendae sunt. Atque huic oneri subsunt, seu in patria habitent, seu non habitent; nisi quod si alibi habitaverint, atque ibi in civium numerum fuerint adlecti, in patria pro civibus non habeantur, sed pro exteris; modo non fuerint ex familiis numeratis pro *fiscalium functionum* solutione, vulgo *fuochi numerati*. Nam hi semper in patria pro civibus habentur, & civica onera ferunt, nisi sit ex eadem familia, qui in patria publica onera subeat.

Illud hic animadvertendum barones, quanquam in plerisque pro civibus in feudo habeantur; tamen, ubi de tributis quaeritur, cives non censeri, nisi sint ex familiis numeratis pro *functionum fiscalium* solutione, vulgo *fuochi numerati*, vel incolatu civitatem, ut exteri solent, nacti sint (11).

Vectigalia, quae ex mercibus exiguntur, duorum sunt generum, quaedam enim ex mercibus, quae importantur, vel exportantur solvi debent: quaedam vero in eo sita sunt, ut certa genera, non nisi a principe, vel prin-

(11) Legatur forma censualis, vulgo *istruzioni catastali*, quae extat in pragm. 3. eod. tit.

principis publicanis vendi possint, cujusmodi sunt sal, pulvis pyrius, manna, theriacum pharmacum, atque his similia. Ad haec ejusmodi vectigalium quaedam ad principem pertinent: quaedam ad Neapolitanam civitatem, vel ad alias nostri regni universitates, ut ex eorum reditu fiscales praestationes solvantur, & communibus necessitatibus fiat satis.

Verum supra dicta tributa, & vectigalia non omnia a principe, vel a Neapolitana civitate, aliisque universitatibus hodie exiguntur. Nam princeps, quum ei pecunia ob publicas necessitates opus fuit, ea tributa, & vectigalia iis concessit, qui sibi pecuniam praestiterunt. Idem quoque Neapolitana civitas, quum usus venit, fecit. Atque haec sunt tributa, sive *functiones fiscales*, quae a privatis possidentur: atque haec sunt vectigalia (*arrendamenti* vulgo dicuntur) a privatis possessa.

Hi tributorum sive vectigalium possessores duplicis sunt generis. Aliis enim tributa, & vectigalia pro certa pecuniae summa, quam praestiterunt, vendita sunt. Atque hi *consignatarii* vulgo dicuntur. Aliis vero princeps, aut Neapolitana civitas pro certa pecuniae summa annuos reditus vendidit cum particulari tributorum, vel vectigalium hypotheca, quae ipsis creditoribus pro faciliori annuorum redituum exactione, assignata sunt. Atque hi *assignatarii* vulgo nuncupantur.

Quum-

Quumque posterioris generis possessores tributorum, & vectigalium sint meri creditores principis, aut civitatis Neapolitanae, aut saltem creditorum loco habeantur; hinc fit, ut semper principi, & Neapolitanae civitati integrum sit, soluta pecunia, tributa, & vectigalia redimere, potissimum, quod venditori annuorum redituum, ut suo loco dicemus, licitum sit, restituto emtori pretio, annuos reditus redimere. Et quemadmodum potest venditor annuorum redituum eos, restituto pretio, recuperare; ita potest eo jure alteri cedere, quae cessio *juris luendi* nuncupatur. Cessione vero *jus luendi* annuorum redituum venditori minime consumitur. Atque idcirco, qui, quum annuos reditus Titio vendidisset, Sejo jure luendi cessit; potest iterum eodem jure luendi Sempronio cedere: tum Septimio. Etenim qui Titio annuos reditus vendidit, ejus debitor est; quare potest ei, quum libitum fuerit, solvere, aut alium, qui solvat, delegare. Ubi vero *jure luendi* Sejo cessit. Seji fit debitor; quare eidem potest solvere, aut alium, qui solvat, delegare. Parique ratione, ubi Sempronio jure luendi cessit, potest huic solvere, aut alium pro eo solventem delegare. Hinc in venditione functionum fiscalium, & vectigalium princeps, sive fiscus, & Neapolitana civitas non semel, sed saepius solet emtori jure luendi cedere.

De prioris generis possessoribus tributorum, & vectigalium, qui scilicet ea emtione compararunt, quaesitum est, utrum liceat principi, aut Neapolitanae civitati ea redimere. Et Neapolitanae civitati constat id minime esse permissum: nam nunquam licet venditori, qui rem pure vendidit, eam redimere, remque venditam, vel duplo pretio oblato, recuperare. (12). De principe non conveniunt scriptores. Plerique ei semper tribuunt jus luendi, seu redimendi: ejusque rei rationem dant, vel quod princeps regalia alienare non possit, vel quod nunquam censeatur alienasse, sed potius pignoris nexu obligasse, & veluti ἀντιχρήσεως jure reditus eorum privatis concessisse. Sed mihi injuria fieri videtur principi, quum ei tributorum, & vectigalium alienandorum potestas denegatur. Et sane intelligere nequeo, qui magis putuerint nostri reges caetera regalia bona alienare, veluti nemora, saltus, agros, quam tributa, & vectigalia. Affirmare vero nunquam censeri principem regalia bona alienasse, id plane futile est, quum ex concessione constat tributa, & vectigalia ab eo pure vendita esse.

Illud tamen non negaverim, ubi publica necessitas, vel utilitas exegerit, id esse principi permittendum: quum publicae utilitati pri-

(12) L. 3. & 6. C. de rescind. vend.

privata cedere debeat : atque ob publicam utilitatem , vel necessitatem possit princeps bona privatis auferre, eorumque jura imminuere .

At quoniam , quando princeps , Neapolitana civitas , aut quivis alius venditor annuorum redituum illos redimit , hypothecae a possessore contractae evanescunt : quoniam resoluto jure auctoris resolvitur jus ejus , qui ab auctore caussam habet , ut in simili scribit Scaevola ; (13) hinc fit , ut , qui ex cessione juris luendi ejusmodi annuos reditus comparat , immunis sit ab hypothecis , debitisque a venditore contractis , modo eos a justo domino redimat . Quare nostri scriptores docent cessione juris luendi hypothecas antea contractas extingui , non vero fideicomissa (14) .

Verum ea cessio juris luendi in emtione obtinet annuorum redituum ab eo , cui tributa , & vectigalia pro faciliori exactione fuerant assignata , qui *assignatarius* vulgo nuncupatur . Tunc enim emtor , qui ex cessione juris luendi emit , fit securus , quod videatur fiscus , aut Neapolitana civitas tributa , & ve-

(13) L. lex vectigali 31. D. de pig. & hypoth. L. si res 3. D. quib. mod. pign. vel hyp. solv.

(14) Carlevalius de jud. lib. 1. tit. 3. disput. 35. num. 37. & 38. Montanus controv. 35. Capycius Latro lib. 1. decis. 16.

vectigalia a priore possessore redemisse, & novo emtori annuorum redituum assignasse. At, si quis tributa, et vectigalia ab eo emere voluerit, cui fuerant a fisco, vel Neapolitana civitate pure vendita, seu, ut vulgus loquitur, *data in solutum*, qui *consignatarius* dicitur; ei cessionem juris luendi inutilem esse reor. Et si quidem emerit ab eo, cui pure Neapolitana civitas vendiderat, res extra controversiam esse videtur, nec ei jure luendi cedi posse, nec cessionem profuturam, ut hypothecas a venditore contractas extinguat: quoniam, ut dictum est, Neapolitana civitas nequit vectigalia semel vendita redimere, aut jure luendi alteri cedere. De illo vero, qui tributa, & vectigalia emerit ab eo, cui a fisco pure vendita fuerant, seu a *consignatario regii fisci*; major potest esse dubitatio: quum possit princeps ex justa caussa tributa, & victigalia pure vendita redimere; tamen non ausim adseverare ejusmodi cessionem juris luendi emtori profuturam in necem creditorum, quibus ea fuerant a domino rite obligata, potissimum, quod ea cessio neque ab ipso principe ex certa scientia procedat, neque publicae utilitatis caussa: sed ab iis, quibus publicarum rerum administratio permissa est, ex usu, & recepto more. Quare haec anceps quaestio videtur, de qua nihil facile pronunciaverim.

Quamvis autem venditor annuorum redituum

tuum possit pro libitu restituto pretio annuos reditus recuperare, aliive actionem suam mandare, seu jure luendi cedere; tamen quoniam administratores, seu *gubernatores* vectigalium, quae vulgo *arrendamenti* dicuntur, quae ad fiscum, Neapolitanam civitatem, aut coetum emtorum sive *consignatariorum* pertinent, saepissime ea facultate abutebantur, pretio, vel alieno odio, vel gratia juri luendi cedentes; quae res non minimum impedimentum vectigalium commercio adferebat non sine communis utilitatis detrimento; idcirco Carolus Borbonius sanctissimus rex his administratoribus facultatem reliquit, petentibus possessoribus, jure luendi cedere: iis invitis id minime permisit: sed duntaxat eis potestatem fecit propria dominorum pecunia vectigalia ex pacto redimere: atque ob eorumdem utilitatem jure luendi cedere, puta, ut minores annui reditus vendantur; veluti si voluerint trientes annuos reditus redimere, ut quadrantes vendant, eaque de caussa jure luendi cesserint; modo utrumque hoc de eorum, quorum interest, consensu fiat, & *delegati* venia. (14)

CA-

(15) Prag. 2. de rest. fund. fisc. & Collect. reg. lit. part. 2. tit. 111. num. 8.

CAPUT VII.

De rebus universitatum, earumque administratione.

UNiversitas dicitur multitudo hominum rite sociata, ut unum corpus efficere videatur; hinc monasteria, hospitalia, academiae, caeteraque collegia universitates dici possunt; proprie tamen universitates appellantur urbes, pagi, & vici, in quibus non plurium hominum, sed plurium familiarum multitudo consociata est. Ejusmodi universitates bona possident, quae res universitatis dicuntur, de quibus hoc capite dicendum. Hae duorum sunt generum: quaedam enim ad usum singulorum comparatae sunt, ut theatra, stadia, silvae, nemora, pascua, quorum usus omnibus civibus patet. Atque hae propriae res universitatis appellantur. Quaedam vero ad usum universorum comparatae sunt; quarum scilicet usus civibus minime est permissus, sed pecunia, quae ex earum reditu provenit pro communi civium utilitate expenditur, qualia sunt vectigalia, quae ad universitatem pertinent, & fundi, qui ab universitate locantur, ut merces in illius aerarium inferatur. Atque hae universitatis patrimonium dici solent, nec longe a rebus singulorum distare videntur, quod universitatis

ver-

versitatas persona ficta censeatur.

Fundi, quorum usus omnibus civibus permittitur, cujusmodi sunt arva, pascua, silvae, & nemora, in quibus civibus licet serere, animalia immittere, glandem legere, aut ligna caedere, *demania* vulgo nuncupantur. Ea quum ad universitatem pertineant, ut eorum usus civibus sit permissus; hinc quicunque civis est, ei licet ejusmodi demaniis uti. Et quoniam baro pro civi in feudo plerumque habetur, ideo baroni quoque usus demaniorum universitatis permissus est: Verum, quia is usus, & civibus, & baroni, uti civibus permissus est, non tanquam dominis; idcirco neque civibus, neque baroni licet usum demaniorum aliis vendere, aliove modo concedere (1).

Baronem autem, uti unum ex ditioribus civibus demaniis universitatis uti posse superius dictum est. Qualis vero usus civium esse debeat ex cujusvis demanii natura, atque ex cujusvis loci consuetudine magis definiendum est, quam ex ineptis nostrorum scriptorum regulis (2).

Interdum vero demania ad baronem pertinent, quoniam ei feudi jure concessa sunt, ea-

(1) Pragm. 12. de baron. & ibi Rovitus, & Capiblancus.

(2) Sanfelicius decis. 7. & de Luca ad de Franchis decis. 489.

eaque *demania baronalia*, seu *feudalia* nuncupantur. In his civibus quoque usus permittitur, alioqui demania non essent. Hoc vero interest inter demania universitatis, & demania baronis, quod si quid ex usu civico superest, quod aliis locari possit, quod vulgo *fidare* dicunt; in illis id juris ad universitatem spectet, in his ad baronem (3).

In dubio autem, utrum demania universitatis sint, an baronis, potius secundnm universitatem pronunciandum est: quum quia universitas favorabilior est barone: tum etiam, quia feudum nunquam praesumitur, nisi probetur, ideoque, nisi baro ostenderit vel ex concessione, vel ex legitima praescriptione, quae immemorabilis, vel centenaria esse debet, demania feudi jure ad se pertinere; ea universitatis esse censenda sunt. (4)

Bona, quorum usus civibus minime permittitur, sed eorum reditus ad universitatem pertinet, sunt urbana, & rustica praedia, quae ab universitate locantur: item moletrinae, furni, tabernae, & vectigalia, quae ad universitatem pertinent. Fundi, qui ab universitate locantur, ut sunt arva, pascua, silvae, & nemora, *defensae* vulgo dicuntur a Gallo vocabulo *defendre*, prohibere, quod in iis usus civibus sit interdictus. In ejusmodi de-

(3) De Luca ad d. decis. 489. de Franchis.
(4) Covarruvias pract. quaest. cap. 37.

defensis plerumque civibus, atque exteris usus pro certa mercede, quae *fida* dicitur, concedi solet: atque in iis non licet universitati, nisi ex justissima caussa mercedem augere, ne cives detrimentum capiant. Idemque obtinet in defensis baronum, quarum usus civibus pro certa mercede conceditur (5).

Quumque in demaniis universitatis perinde, ac in demaniis baronis omnibus civibus usus pateat; hinc fit, ut ne liceat universitati, vel baroni ex demaniis defensas facere, nisi & baronis, & universitatis consensus accesserit, ne unius conditio per alterum deterior fiat: nec sufficiat majorem universitatis partem consensisse, nisi omnes consentiant, ut unius dissensus ad rem impediendam sit satis: quoniam, quod omnes respicit, ab omnibus probandum est (6). Ad haec regius quoque adsensus necessarius est, potissimum, ubi in demaniis universitatis defensae baroni constituuntur, ne quid is per potentatum moliatur. (7)

Vectigalia vero, caeteraque bona universitatis, quorum reditus in aerarium illius est inferendum, locari nequeunt, nisi auctione, & idonea cautione: nec ad auctionem universitatis administratores, nec ii, qui ex prio-

(5) Afflictus ad Const. quum per partes Apuliae.
(6) De Franchis decis. 2. & decis. 97.
(7) Pragm. 11. de baron.

priorè conductione universitati debitores sunt, admitti possunt (8). Ad haec ea locatio quotannis facienda est, ut universitati suppetat, unde necessarias impensas faciat; quare vetita est locatio vectigalium, aliorumque bonorum universitatis ad plures annos pecunia in antecessum numerata, nisi id ex justissima caussa, & principis adsensu fiat (9) Pecunia porro, quae ex hujusmodi bonorum reditu provenit, ita eroganda est, ut primo solvatur regio fisco, & creditoribus, qui a fisco caussam habent, qui *fiscalarii* vulgo audiunt: deinde ipsius universitatis creditoribus, qui scilicet cum ea rite contraxerunt, qui *instrumentarii* vulgo dicuntur: & denique si quid superest in nominum expunctionem, iisque expunctis in emtionem bonorum, quae universitati usui sunt futura, collocandum est; nisi si quid quotannis necessario impendendum, veluti in refectionem viarum, pontium, & similia (10).

Quamvis autem bona universitatis omnia, seu ea, quorum usus civibus permittitur, seu quorum reditus in aerarium universitatis infertur, civium esse censeantur; tamen illud inter utraque intercedit discriminis, quod ea, quorum usus civibus patet, etiam baroni pro-

(8) Pragm. 5. §. 6. & 8. de admin. univers.
(9) Pragm. 18. d. tit.
(10) Prag. 15. d. tit.

proficiunt, cui uti eisdem licet, ut supra dictum est: ea vero, quorum reditus in aerarium universitatis est inferendum, solis civibus prodesse debent, nequaquam baroni, nisi is quoque civis sit. Nam reditus eorum bonorum ex tributo, quod a civibus debetur deducendum est, nequaquam ex tributo a barone debito *bonatenenza* vulgo dicto, nisi is civis fuerit (11).

Quoniam, ut scribit Cajus, *quibus permissum est corpus habere collegii, societatis, sive cujusque alterius eorum nomine, proprium est ad exemplum reipublicae habere res communes, arcam communem, & actorem, sive syndicum, per quem, tanquam in republica, quod communiter agi, fieri oportet, agatur, & fiat*. (12); hinc omnes universitates, uti res communes habent, ita & arcam communem, & administratores, per quos res, & negotia universitatum procurentur.

Hi administratores singulis annis libere per cives ipsarum universitatum more solito eligi debent, & ab iis, ad quos spectat, confirmari, ex Caroli V. lege (13). Mos, & consuetudo, quam servari oportet in electione administratorum universitatum, respicit nume-

Y rum

(11) Forma censualis, vulgo *istruzioni catastali* part. 3.
(12) L. 1. §. 1. D. quod cujusq. univer. nom.
(13) Pragm. 2. de admin. univer.

nundinis praefectus, qui vulgo dicitur nundinarum magister, sed loci gubernator interesse debet (18).

Eligi autem nequeunt ad hoc munus pater, & filius: vel duo fratres simul: quique administrationis antea gestae rationes nondum reddidere, vel reliqua nondum intulere: & generatim quicunque universitatis debitores sunt, aut cum ea litem habent (19); qui omnes a quovis publico universitatis munere repelluntur: immo neque possunt in comitiis interesse, ut suffragium ferant de electione administratorum universitatis, ut in Sacro-Consilio definitum refert Rovitus (20).

Hi vero administratores nequeunt in alterum annum munus continuare, nisi post redditas rationes fuerint concordi civium suffragio confirmati, ut unius dissensus rem impediat: & regius adsensus accesserit, qui a Regali Camara S. Clarae praestandus est (21). Atque uti is, qui universitatem administravit, nequit munus in alterum annum continuare, ita neque filius, vel frater ejus (22).

 Ad

(18) Collect. reg. lit. par. 2. tit. 87. num. 14.
(19) Pragm. 5. §. 16. 17. & 18. de adm. univer.
(20) Rovitus ad pragm. 5. de adm. univer. num. 32.
(21) De Franchis decis. 220. & Collect. reg. lit. par. 2. tit. 86. num. 24. & 26.
(22) L. 1. & 3. C. de muner. & honor. Rovitus ad pragm. 2. de admin. univers. num. 1.

Ad haec, qui semel munus universitatis obiit, nequit iterum illud obire, nisi legitimum tempus vacaverit. Legitimum vero vacationis tempus, ut ad idem munus eligatur, est quinquennium: ad aliud vero triennium (23). Quod non ita accipiendum est, ut vulgo, ut qui syndicus fuit, possit electus ad administrationem universitatis post triennium creari: quum utrumque hoc munus pro eodem habeatur, quod in administrandis rebus universitatis situm est.

Munus administratorum universitatis in publicarum rerum cura consistit: atque in pecunia exigenda, adservanda, & eroganda, rationibusque finito officio reddendis. Quare ii debent a debitoribus pecuniam statis temporibus exigere, quod si neglexerint, de proprio erunt obligati. Et quo facilius pecuniam exigere possint, eis permissum est, loci gubernatorem per libellum adire, qui sine scripto, & nullis exactis sportulis debitores universitatis per capturam personae, & pignorum ad solutionem compellat; quod ni fecerit rationibus reddendis de ea re tenebitur (24). Quod ita a Carolo Borbonio declaratum fuit, ut administratores universitatum, earumque conductores possint pro exactione tributorum, & vectigalium debitores per

(23) L. 2. C. de muner. & honor.
(24) Pragm. 5. §. 10. de adm. univer.

per capturam perſonae, & pignorum, etiam inſciente loci gubernatore, adigere: reliquos vero univerſitatis debitores loci gubernator cauſſa ſummatim cognita cogere debet (25).

Exacta pecunia ab arcario in comitiis electo a privatis ſecreta adſervanda eſt, nec in privatos uſus convertenda: nec eam licet ſine ſcripto adminiſtratorum mandato, in quo juſta cauſſa enuntiata ſit, erogare, niſi ſolam ſummam carolinorum quinque (26).

Quumque, ut ſupra dictum eſt, ex publica pecunia primum fiſco, tum creditoribus *fiſcalariis*, & denique *inſtrumentariis* ſatisfaciendum ſit; ideo, ut facilius, & ſine univerſitatis damno his fiat ſatis, debent adminiſtratores, ſi quae ſunt vectigalia, aliave corpora, unde reditus univerſitati provenit, ea ſupra dictis creditoribus adſignare (27).

Nequeunt vero hi adminiſtratores procuratorem in hanc principem, aliamve urbem mittere, niſi id in comitiis fuerit deliberatum, modo, qui mittitur neque filius, neque cognatus ſit adminiſtratorum: aut ſalarium ei tribuere, niſi a tribunali, in quo fuerit verſatus, ſit decretum. (28)

(25) Collect. reg. lit. par. 2. tit. 86. num. 27.
(26) Pragm. 5. §. 1. 2. & 3. & Pragm. 14. §. 2. de adm. univer.
(27) Pragm. 7. §. 5. & 6. d. tit.
(28) Pragm. 1. 4. & 7. d. tit.

Similiter nequeunt bona universitatis alienare, aut hypothecae subjicere, nisi ex justa caussa, & regio adsensu, multoque minus possunt ea alicui, etiam ecclesiae, donare (29). Immo ne locare quidem queunt in plures annos, pecunia in antecessum recepta, ut supra dictum est. Parique ratione eis minime licet pecuniam mutuam, aut foenori accipere, ne cum obligatione quidem privatorum sub conditione regii adsensus impetrandi pro obligandis rebus universitatis; quod si factum fuerit, ne ii quidem, qui se obligaverunt, tenentur (30).

Finito tandem officio rationes reddendae sunt, atque arca cum pecunia novo arcario tradenda, & in decem diebus proximis rationes exhibendae: novi vero administratores intra mensem debent rationes examinare, & decessores ad reliqua inferenda compellere; quibus ne de civium quidem consensu in comitiis potest quidquam remitti. (31) Ubi illud animadvertendum, quamvis jure Romano neque administratores, neque conductores rerum universitatum actione in rem conveniri queant, sed sola in personam; tamen jure nostro universitati tributa est tacita hypotheca in omnibus bonis eorum, qui quavis ratio-

(29) Pragm. 12. & 18. d. tit.
(30) Prag. 10. & 11. d. tit.
(31) Pragm. 5. §. 9. 12. & 13. d. tit.

tione illarum res adminiſtrarunt a die ſuſceptae adminiſtrationis (32).

Quamvis autem baro nequeat in adminiſtrandis, procurandiſque rebus univerſitatis ſe immiſcere; tamen ei permiſſum eſt, ut cuivis civi, curare, ut omnia recte gerantur, & adminiſtrationis rationes rite reddantur (33).

Illud denique non omittendum olim ad bajulos pertinuiſſe pretium rebus venalibus ſtatuere: pondera, & menſuras examinare, eoſque, qui vel ſtatutum pretium excederent, vel juſtis ponderibus, & menſuris non uterentur, multare. Sed ubi bajulorum auctoritas eviluit, id juris ad univerſitates translatum eſt, quod *Catapania* vulgo dicitur. Quare hodie ad ejuſmodi adminiſtratores, vel eos, qui ab univerſitate delecti ſunt, qui *catapani* nuncupantur ſpectat pretium rebus venalibus imponere, pondera, & menſuras examinare, eoſque, qui in ea re deliquerint, unius auguſtalis poena multare: minime vero alia poena eos punire, aut prehendi jubere, niſi eos ſolos, qui in ipſo delicto, vulgo in *flagranti* deprehenduntur. Quod ſi gravior poena videatur infligenda, ad loci gubernatorem id ſpectat, ad quem pariter ab adminiſtratori-

(32) Pragm. 9. d. tit.
(33) Pragm. 5. §. 20. de adm. univer.

bus universitatis, sive *catapanis* licet provocare (34).

Administratorum quoque universitatis est publicas vias tueri, atque id operam dare, ne quid in loco publico fiat, quod civibus possit esse detrimento, quod *portulania*, aut *portolania di terra* vulgo dicitur. Verum quoniam id aliquam jurisdictionem continet, quae in regalibus recensetur, idcirco moris est, ut quotannis terni cives ab universitate nominentur, e quibus unus a Regia Camara Summariae deligitur; nisi ea *portulania* baroni, vel ipsi universitati feudi jure fuerit concessa.

Verum in hac principe urbe VIIviri ad rem publicam procurandam quotannis deliguntur, quorum sex a patriciorum curiis, singuli a singulis, bini vero a Montana, & septimus a populo eligitur, nempe ab octo, & quinquaginta procuratoribus, qui bini ab unaquaque urbis regione, *ottina* vulgo dicta, mittuntur; qui mos antiquissimus est, cujus meminit Ladislaus rex in praefatione privilegiorum Urbi tributorum (35).

His VIIviris potestatem fecit Ladislaus rex annonam curare, & de ea re edicta statuta poe-

(34) Tapia ad Const. ad officium bajulorum, & Collect. reg. lit. par. 2. tit. 86. num. 27.

(35) Tom. 1. privileg. princip.

poena proponere, poenas, & multas irrogare, atque exigere, delinquentes prehendere, & magiſtro juſtitiario, aut capitanio Urbis puniendos offerre. Id ipſum confirmavit Ferdinandus I. Aragonius. (36) Sed anno 1509. ea poteſtas ipſis reſtricta eſt legibus annonariis, quae vulgo dicuntur *capitoli del ben vivere*, quibus vix alia auctoritas iis relicta eſt, quam ea, qua caeterarum univerſitatum adminiſtratores utuntur. At ſenſim illi priſtinam poteſtatem uſurpare; quare iterum anno 1561. ea, lege lata, imminuta eſt. Tum rurſus hi priorem poteſtatem ſibi ſumere, (37) donec tandem anno 1714. Caroli VI. privilegio priſtina auctoritas reſtituta eſt, permiſſumque eis eſt pretium rebus venalibus ſtatuere, quaeque publico civium bono expedire videntur edictis praecipere, & poenas ſeu pecuniarias, ſeu corporales irrogare, modo abſtineant a poena mortis, triremium, atque exilii extra regnum, & modo neminem prehendi jubeant, niſi in ipſo delicto deprehenſum, vulgo in *flagranti*, vel alios de adſeſſoris ſententia (38). At pretium venalibus ſtatutum a rege probandum eſt *.

Pondera vero, & menſuras examinare, & publico ſigno probare in Urbe, ſubur-

(36) Dict. tom. I. privil. princ. & cap. 37. 38. & 40.
(37) Pragm. 41. de annona.
(38) Privileg. m. s. Caroli VI. in archio Neap. civit. * Collect. reg. lit. par. 2. tit. 40. num. 2.

burbiis, atque in nundinis ad tribunal *regiae siclae*, ejusque tribunalis ministros pertinet, cujus olim in universo regno fuit jurisdictio; sed anno 1609. extra Neapolitanum territorium universitatibus titulo oneroso fuit concessa (39).

Et quoniam, ut dictum est, Neapolitanae civitatis administratoribus permissum fuerat edicta de annona proponere, poenas in eos, qui contra fecissent, statuere, delinquentes prehendere: caussas vero de violato edicto nequaquam dijudicare, quum sontes essent justitiario, vel capitanio Urbis offerendi; hinc civitas petiit sibi officium juris de ea re dicundi concedi, illudque titulo oneroso obtinuit, quod munus *regii justitiarii* dicitur, quod in orbem a VIIviris in singulos menses obitur. Ab hujus decretis ad annonae praefectum provocatio est (40).

Ad hunc justitiarium sola coërcitio pertinet eorum, qui in re annonaria delinquunt: caeterae vero caussae seu pecuniariae, seu criminum de annona Urbis ad annonae praefectum pertinent, qui ab ipso rege constituitur, a quo olim ad Collaterale Consilium nunc ad Regalem Camaram S. Clarae provocatur (41).

His

(39) Pragm. 3. de pond. & mensur.
(40) Tassonus de antef. ver. 3. obs. 3. tribun. 12.
(41) Dict. privileg. m. s. Caroli VI. & Pragm. 6. de immunit. civ. Neap.

His quoque VIIviris Ferdinandus I. Aragonius curam viarum urbis demandavit, ut eas purgarent, & providerent, ne quid in eis civibus esset impedimento. (42) Sed ea cura nequaquam jurisdictionem continebat de rebus ad publicas vias spectantibus, aut jus nova aedificia permittendi, & veluti vectigal quoddam exigendi ab iis, qui in publicas Urbis vias quid immittunt, aut in iis quid moliuntur, quod jus *portulania* dicitur. Idque principis fuit, a quo familiae Mocciae fuerat concessum: tum ea extincta titulo oneroso fuit Neapolitanae civitati tributum, quam concessionem idem Carolus VI. confirmavit. (43) Ideoque omne jus, & potestas de publicis Urbis viis ad Neapolitanam civitatem pertinet, a qua deliguntur viarum sternendarum, aquarum, & aedificiorum muniendorum curatores, qui vulgo dicuntur *deputati della mattonata*, *deputati dell' acque*, *e deputati della fortificazione*. (44)

Ad ultimum illud non omittendum ab omnibus Neapolitanae civitatis tribunalibus ad Regalem Camaram provocari, ut olim ad Collaterale Consilium. Uti ad idem tribunal spectant omnes Neapolitanae civitatis caussae, sive agat, sive conveniatur, nisi lis fue-

(42) Tom. 1. privil. cap. 41.
(43) Dict. privileg. m. s. Caroli VI.
(44) De Rosa consult. 1.

fuerit cum regio fisco, cujus cognitio erit Regiae Camarae Summariae (45).

Caeterarum vero universitatum caussae, seu agere, seu conveniri debeant, ad Regiam Camaram Summariae pertinent: caussae vero de electionibus administratorum ad Sacrum Consilium; nisi si quae universitates decoxerint, ut in tutela Regiae Camarae sint: quoniam de earum administratorum electione lites ab eadem Regia Camara definiuntur. (46)

C A P U T VIII.

De jure civitatis.

QUoniam in plerisque, potissimum in tributis, & vectigalibus, atque in usu rerum universitatis cives diverso ab exteris jure utuntur; idcirco abs re non erit hoc loco exponere, quale sit jus civitatis, & qua ratione adquiratur. Civitatis vocabulum dupliciter accipitur. Interdum enim civitas denotat universum hominum coetum sub eodem imperio juris fruendi caussa consociatum, qui respublica quoque appellatur; eoque sensu civitas Romanorum, civitas Atheniensium, civitas Helvetiorum dicitur. Interdum ve-

(45) Pragm. 6. de immun. civ. Neapol.
(46) Pragm. 61. & 62. de off. proc. Caesar. & Collect. reg. lit. par. 2. tit. 86. num. 10.

vero civitas accipitur pro peculiari unius urbis, pagi, aut vici hominum multitudine communis utilitatis promovendae caussa rite sociata; quae universitas quoque nuncupatur. De utraque aliqua hoc loco dicenda sunt.

Major civitas, qua ii, qui sub eodem imperio sunt, copulantur, eos participes reddit jurium civitatis, quae scilicet civibus tributa sunt. Hinc olim, qui sub imperio Romano erant, cives dicebantur: qui non erant, peregrini nuncupabantur. Hi juris civilis participes non erant; ideoque nec testari poterant, nec ex civium testamento capere. Idem paene apud nos olim obtinuit, nam qui ex nostro regno non erant ii *garangi* dicebantur, & neque testamentum facere, neque ex civium testamento capere poterant. (1) Sed ubi omnibus peregrinis a Friderico II. testamenti faciendi, atque ex testamento civium capiendi potestas facta est, id discrimen inter cives, & peregrinos abolitum est (2). Id duntaxat juris civibus prae peregrinis reliquum fuit, ut soli cives ad beneficia, pensiones, munera, & honores admitterentur (3). . .

Et

(1) Andreas ab Aesernia ad Const. dohanae de secretis.

(2) Authen. omnes peregrini C. de sacros. eccl.

(3) Legantur privilegia Ferdinandi I. Ferdinandi II. Friderici Aragoniorum, & Ferdinandi Catholici tom. 1. privileg.

Et quod ad beneficia attinet, jure nostro cautum est *archiepiscopatus*, *episcopatus*, *abbatias*, caeteraque ecclesiastica beneficia, uti & pensiones iis solis, qui ex regno sunt, conferenda esse, exceptis duntaxat pensionibus ad summam centussium viginti millium, quas summo pontifici licet exteris conferre (4).

Munera vero, quae vel in jure dicundo, vel in publicarum rerum administratione sita sunt, ea paene omnia regni civibus tribuere Carolus V. pollicitus est; nisi quod quaedam sui arbitrii esse voluit. (5) Sed nostri regis munificentia omnia paene publica munera civibus conferuntur.

Denique militaria officia, quoniam rempublicam, & principem ipsum propius spectant, semper regii arbitrii fuere, nisi quod amantissimus princeps solitus non sit cives negligere (6).

Hoc civitatis jus non modo nativitate, sed etiam incolatu, & principis indulgentia adquiritur. Etenim regni cives sunt non modo, qui in regno nascuntur; sed etiam ii, qui in regno domicilium constituunt, unde non sint discessuri, si nihil avocet: & ii, qui principis rescripto consecuti sunt, ut pro civibus habeantur (7). Hic

(4) Concord. cap. 8.
(5) Pragm. 1. de off. provis, seu distribut.
(6) Privileg. m.s. Caroli VI. in archio civit.Neap.
(7) Collect. reg. lit. par. 2. tit. 106. num. 2. & 5.

Hic illud non omittendum Siculos cives censeri, quoniam ex eodem regno sunt: Beneventanos non censeri: nam Beneventum, quamvis in regno Neapolitano sit; tamen ex regno non est, quod Neapolitano regi non subest (8).

Minor civitas, seu uniuscujusque patria, jus ei tribuit ad bona universitatis, ut supra dictum est, item ad munera, honores, & privilegia, quae civibus competunt.

De hac civitate adquirenda ita Diocletianus, & Maximianus statuere: *Cives quidem origo, manumissio, adlectio, vel adoptio: incolas vero, sicut D. Hadrianus edicto suo manifestissime declaravit, domicilium facit* (9). Quare principio civitas origine, seu nativitate adquiritur; nam qui Salerni v. g. natus, civis Salernitanus est: deinde manumissione, atque adoptione; quoniam, qui a Salernitano cive manumissus, vel adoptatus est, civis quoque Salernitanus efficitur; uti etiam qui in numerum Salernitanorum civium ab universitate adlegitur, civem fieri non ambigitur: denique civitas incolatu quaeritur: incolatus vero ex domicilio existimatur. Domicilium autem in eo loco quis habere censetur, *ubi larem, rerumque, ac fortunarum sua-*

(8) Collect. reg. lit. par. 2. tit. 106. num. 1. & 3.

(9) L. cives 7. C. de incolis.

suaram summam constituit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet: unde quum profectus est, peregrinari videtur: quo si rediit, peregrinari jam destitit (10). Idcirco qui aliquo in loco decem annos, adhuc studiorum caussa commoratus est, civis factus censetur, quum per id tempus studia explevisse credendum sit, neque ex eo loco esse discessurum. (11). Immo moris est, ut mercatores, qui aliquo in loco triennium commorati sunt, ut cives tractentur, modo cautionem praestent de continuando domicilio in eodem loco (12).

Verum hoc interest inter eos, qui origine manumissione, adoptione, vel adlectione civitatem nacti sunt, & eos, qui incolatu, quod illi non facile civitatem amittunt; quare *cives originales*, & simpliciter cives nuncupantur: hi mutato domicilio cives esse desinunt; idcirco incolae potius, quam cives appellantur. Atque hoc nostris quoque legibus confirmatum est (13).

Civitas autem Neapolitana pleraque tribuit privilegia; quorum praecipua sunt immunitas a vectigali in emtione, & venditione equorum,

(10) Dict. L. cives 7. C. de incol.
(11) L. 2. C. de incol.
(12) Moles in decis. R. C. §. 8. quaest. 1. num. 21.
(13) Forma Censualis, vulgo *instruzioni catastali* part. 1. num. 17.

rum, & jumentorum: a vectigali sestertii unius in singulos medimnos farinae, tritici, & frumenti, quae Urbem importantur: item in regni provinciis immunitas a vectigalibus pro mercibus, quae comparantur: & a tributo pro annuis reditibus, non vero pro bonis immobilibus: praeterea privilegium, ne civium bona publicentur, nisi ob crimen haeresis, perduellionis, & majestatis in ipsum principem admissum, quod crimen *laesae majestatis in primo capite* vulgo dicunt: & denique, ut cives sive agant, sive conveniantur, urbica tribunalia sint adeunda. (14) At novissimis regiis litteris IV. Kalendas Apriles hujus anni 1784. cautum est cives Neapolitanos pro rebus, quae mercimonii caussa comparant, a vectigalibus, quae a regni universitatibus, vel baronibus exiguntur, quae *vectigalia baronalia* vulgo dicuntur, immunes esse: quae vero ad principis aerarium pertinent, ea pendi oportere.

Haec quoque civitas paene iisdem modis adquiritur, scilicet primo origine: nam, qui Neapoli nascuntur, cives Neapolitani sunt: immo &, qui ex patre Neapolitano orti sunt, cives quoque Neapolitani habentur. (15)

Z Dein-

(14) Moles in decis. R. C. §. 7. 11. & 12. Pragm. 2. & 5. de immun. civ. Neapol.

(15) Forma censualis, vulgo *istruzioni catastali* par. 1. num. 17.

Deinde, ut mittam manumissionem, atque adoptionem, adlectione Neapolitana civitas quaeritur. Adlectio ex Friderici Aragonii privilegio VIIviris rei Neapolitanae procurandae delectis competit, quibus permissum est etiam cives ex justa caussa civitate privare; modo de ea re ad regem referatur, ab eoque irrogata poena comprobetur. Immo quamvis permissum sit administratoribus rei Neapolitanae civitatem exteris dare; tamen necesse est regis quoque adsensus accedat, ut a Ferdinando Catholico constitutum fuit. (16)

Ad haec, quoniam patricii cives Neapolitani habentur, hinc fit, ut qui inter patricios alicujus Neapolitanae curiae adlegitur, civis Neapolitanus fiat, seu in Urbe habitet, seu non habitet: quoniam civitas adlectione quaesita mutato domicilio non amittitur. Atque ita Sacrum Consilium definivit, quamvis de ea re olim fuerit dubitatum (17).

Denique incolatu civitas Neapolitana quaeri potest. Verum, ut quis omnium civium privilegia nanciscatur, oportet, ut uxorem Neapolitanam ducat, & domum sibi Neapoli comparet, ut Ferdinandus I. Aragonius constituit (18). Immo & eum, qui emphyteuseos jure domum Neapoli adquirit, civem Nea-

(16) Tom. I. privileg. & privil. m. s. Caroli VI.
(17) Altimarus ad Rovit. cons. 83.
(18) Pragm. I. de imm. civ. Neapol.

Neapolitanum fieri non ſine ratione noſtri ſcriptores tradunt (19). Quod ſi quis Neapoli domicilium conſtituerit, aut decennium, adhuc ſtudiorum cauſa, ibi fuerit commoratus, Neapolitanam civitatem in eo duntaxat nanciſcitur, ut ſive agat, ſive conveniatur, ejus cauſsae in urbicis tribunalibus tractandae ſint (20).

Caeterum qui incolatu civitatem Neapolitanam quaeſiere, ſeu ducta Neapolitana uxore, ſeu non ducta, tandiu cives habentur, quandiu Neapoli habitant: domicilio mutato civitatem, atque omnia privilegia amittunt (21).

(19) Rovitus ad d. Pragm. 1.

(20) Pragm. 2. de immun. civ. Neapol. & Ritu M. C. V. 101. & ibi Caravita.

(21) Prag. 4. de immun. civ. Neapol. Forma cenſualis vulgo *iſtruzioni cataſtali* par. 1. num. 17.

CAPUT IX.

De usucapionibus, & praescriptionibus.

RES singulorum sunt, quae ad singulos pertinent, quarum dominium, vel jure naturali, & gentium, vel jure civili adquiritur. De modis, quibus jure naturali dominium quaeritur, nihil est, quod hoc loco dicamus, quum nihil nostris legibus de ea re sit constitutum. Inter civiles adquirendi dominii modos praecipuus est usucapio, de qua aliqua ex legibus nostri regni dicenda sunt.

Et quidem jure Romano, ne dominia rerum sint in incerto, atque ut aliquis sit litium finis, constitutum est, ut mobilia triennio possessori adquirantur. immobilia decennio inter praesentes: vicennio inter absentes; quae usucapio dicta est. Praeterea cautum, ut triginta annis actiones omnes finiantur, nisi quod quaedam quadraginta durant: &, qui postea egerit, exceptione repellatur, quae praescriptio nuncupata est (1).

At Langobardi, qui diu apud nos regnarunt, solam triginta annorum praescriptionem agnovere, eamque in rebus seu mobilibus, seu immobilibus probavere, modo essent conti-

(1) L. 1. C. de usuc. transforman. & L. 3. C. de praescript. 30. vel 40. ann.

tinenti bona fide possessae; nisi quod fratrem adversus fratrem ad inaequalem divisionem corrigendam agentem quadraginta annorum possessio repelleret (2).

Id verisimile est apud nos obtinuisse ad Friderici II. aetatem. Is jus Romanum, quo maxime delectabatur, restituit tribus de usucapionibus, & praescriptionibus editis constitutionibus. Earum prima principio abolevit praescriptionem, quae in aliquibus nostri regni locis obtinebat, *anni, mensis, diei, & horae*, per quam aliquis *de dominio suae rei cadebat, & Francus de dissassina queri non poterat*. Deinde usucapionem, & praescriptionem juris communis, hoc est Romani confirmavit, scilicet triennii in rebus mobilibus, decennii in rebus immobilibus inter praesentes, & vicennii inter absentes, praecedente *scilicet titulo, & bona fide ex utraque parte undique concurrente*; quibus verbis videtur bonam fidem non in solo initio, sed continentem, donec impleatur usucapio, exigere. Confirmavit pariter inter privatos triginta annorum praescriptionem, qua omne jus, omnisque actio extinguatur, excepta hypothecaria, quae adversus debitorem quadraginta annos durat. Denique praescriptionem juris Langobardi quadraginta annorum probavit, qua frater adversus fratrem communionem

(2) L. L. lib. 2. tit. 35. L. 5. 7. & 9.

muni dividundo expertus repellebatur, si possessor juraret rem, de qua quaereretur, non ex communi hereditate, sed aliunde possidere(3). In hac constitutione nullam Fridericus mentionem facit de quadraginta annorum praescriptione, qua ecclesiae, religiosa loca, atque universitates utuntur: sed eam probasse non est ambigendum, quum quia omnes juris Romani usucapiones, & praescriptiones probavit, tum etiam quia ea praescriptio jure Langobardo quoque fuerat recepta (4).

Qualis vero fuerit praescriptio anni, mensis, diei, & horae, quae olim alicubi apud nos obtinebat, quam Fridericus abolevit, incertum est. Marinus a Caramanico putat eam locum habuisse, ubi feudatarius per id temporis investituram non petierat. Sed ipse conjicio eam praescriptionem obtinuisse, vel ubi quis judicis auctoritate fuerat de possessione injuria dejectus: nam apud plerosque Germaniae populos similis mos olim servabatur, ut qui auctoribus, & cognitoribus scabinis rem comparaverat, post annum, mensem & diem fieret securus, & dominus rei suae dominio caderet: (5) vel potius, ubi *subfeudatarius* vellet de *dissassina per exguardum* queri, quam Fridericus II. meminit (6); quam ne-

(3) Const. duram, & diram, de praescript.
(4) L. L. lib. 2. tit. 35. L. 11.
(5) Grotius manuduct. ad jurisp. Batav. cap. 7.
(6) Const. si vassallus, de fidejus. dom.

nemo hactenus, quid esset, intellexit. Licuit enim *feudatario* certis ex caussis, potissimum ob petita ab eo, nec praestita servitia, *subfeudatarium per exguardum dissaisire*, hoc est sine ulla caussae cognitione, nec eo audito post tertiam mònitionem feudo privare, modo id de parium sententia faceret, si pares essent, ut tradit Marinus Freccia (7). De ea *dissaisina per exguardum* puto Francum subfeudatarium in anno, mense, die, & hora proxima queri potuisse: postea dominio rei suae cecidisse.

Altera constitutione Fridericus improbavit consuetudinem, qua in feudis nullius vel longissimi temporis praescriptio admitteretur: jussit enim, ubi quis feudum, vel partem ejus triginta annis praesente in regno adversario possederit, securum fieri, modo servitium domino praestiterit. Quod si feudum, vel rem, quae ad feudum pertinet, nullo praestito servitio possederit, nullius temporis praescriptione juvari, ea reddita ratione, *quum his de feudo subtractis de necessitate per consequens ipsum servitium minoretur* (8). Quod ita accipiendum existimo, nisi centenaria obstet praescriptio.

Tertia denique constitutione, abolita quadraginta annorum juris Romani, & sexagin-

(7) Freccia lib. 2. de subf. auct. 4. num. 15.
(8) Const. consuetudinem pravam, de rei act. & except.

ta juris Langobardi, fisco praescriptionem obesse noluit, nisi centenariam (9). Verum quadriennii praescriptionem, qua possessor bonorum vacantium nondum fisco nuntiatorum defenditur, confirmavit: uti etiam triennii praescriptionem, ne adversus fiscum latae sententiae retractentur (10).

Haec omnia a Ferdinando I. Aragonio anno 1477. confirmata sunt, qui illud quoque addidit praescriptionem occasione belli, aut pestis excludi non posse; nisi doceatur petitorem ea re abesse oportuisse: neque adversus praescriptionem in integrum restitutionem ob instrumenta noviter reperta tribuendam esse, nisi audito adversario demonstratum fuerit instrumenta noviter esse reperta, quae antea petitorem latebant (11). Praescriptionis vero nomine videtur Ferdinandus usucapionem quoque comprehendere voluisse.

Pariter, quae de centenaria praescriptione a Friderico II. fuerant statuta, a Carolo VI. anno 1720. fuere confirmata. Is enim cavit *praescriptionem immemorabilem, sive centenariam*

(9) Constit. quadragenalem, de prorogat. praescript.

(10) L. 1. C. de quadriennii praescrip. & L. 1. C. de sentent. adversus fiscum &c.

(11) Pragm. 1. & 2. de praescript. Consulite tractat. de restit. in int. lib. 1. cap. 6. & lib. 2. cap. ult.

riam procedere contra fiſcum & tutos reddere poſſeſſores bonorum , & jurium feudalium a quacunque moleſtia regii fiſci , etiam ſi conſtaret de titulo vitioſo , infecto , vel invalido , dummodo titulus praedictas non ſit exhibitus ab iiſdem poſſeſſoribus (12) . Quo fit , ut hac praeſcriptione juvetur poſſeſſor rei feudalis, qui eam , ut allodialem poſſedit , ut poſt tantum temporis intervallum neque a fiſco, neque ab eo , ad quem ea res pertinet , poſſit inquietari .

Quumque adhuc apud nos dubitaretur , utrum praeſcriptio eſſet admittenda , quum ea videretur naturali aequitati refragari , anno 1738. omnes Sacri Conſili judices in unum coacti rem definiverunt declarantes praeſcriptionem apud nos locum obtinere , modo nihil deſit ex iis , quae jus Romanum , pontificium , & Neapolitanum exigunt , potiſſimum continens bona fides : ideoque neque debitorem ob malam fidem , neque ejus heredem , adhuc bonae fidei , quod eadem perſona cum defuncto eſſe videatur , praeſcriptione juvari: tertium vero poſſeſſorem, quod bonae fidei cenſeatur , triginta annorum praeſcriptione uſurum; niſi manifeſtis probationibus ipſius mala fides, ſeu initio , ſeu poſt tempus fuerit demonſtrata , rejectis quibuſvis ma-

(12) Tom. 2. privil.

malae fidei praesumtionibus (13). Hanc Sacri Consilii definitionem ad centenariam praescriptionem non puto pertinere, ne dicamus Sacrum Consilium, dum ei mandabatur dubias juris quaestiones explicare, & definire, voluisse certam legem, & recens confirmatam evertere.

Hac definitione quidam putant triennii, decennii, & vicennii usucapiones, & brevioris temporis praescriptiones fuisse abolitas, solamque triginta annorum fuisse probatam, quod ejus solius definitio meminerit. Sed male. Nam idem Sacrum Consilium initio praescriptiones generatim probat, quae neque jure Romano, neque pontificio, neque Neapolitano improbantur. Ideo vero tertium possessorem triginta annis securum fieri pronuntiatur, quod eo tempore plane fiat securus, adhuc si a malae fidei possessore rem acceperit, quod eadem definitio innuere videtur, quum antea debitorem, & heredem debitoris meminerit, qui ob malam fidem praescriptione uti non possunt, & a quibus tertius possessor rem videtur comparasse. Ad haec in ea definitione nequaquam de usucapionibus tractatur, quarum nulla mentio: sed duntaxat de actionum praescriptione, quae plerumque triginta annorum est.

Praeterea eadem Sacri Consilii definitione cer-

(13) Pragm. 3. de praescript.

certum tempus , in quo ex certis caussis agatur , statutum est : post ea tempora petentes non ob praescriptionem , sed ob praesumtam solutionem esse repellendos. Etenim cautum caussidicos , advocatos scilicet , & procuratores, ex quo vel patrocinium reliquere , vel mandato defecti sunt , de honorario intra biennium agere debere : notarios intra idem tempus pro mercede experiri oportere , ex quo instrumenta conscripsere ; modo eorum exemplum minime tradiderint, eo tradito non esse audiendos : pharmacopolas pretium medicamentorum intra biennium ab aegroto petere debere , ab heredibus intra bimestre : fabros , atque artifices intra annum pretium operum , & mercedem operarum petere oportere : famulos denique , caeterosque , qui operas locant , intra bimestre de mercede experiri debere , postquam famulatu , ministeriove discesserint . Id vero locum habere idem Sacrum Consilium definivit , ubi nulla seu publica , seu privata instrumenta exstant , unde debitum appareat. Immo interdum princeps ejus legis rigorem solet ob sexus fragilitatem , aut ignorantiam vel rusticitatem creditorum relaxare (14) .

CA-

(14) Collect. reg. lit. par. 2. tit. 132. num. 2.

CAPUT X

De servitutibus praediorum.

ALia rerum divisio est, quod quaedam corporales sunt, quaedam incorporales. Corporales sunt, quae tangi possunt, ut servus, vestis, fundus. Incorporales, quae tangi non possunt, & in jure consistunt, seu jus aliquod nobis tribuunt. Jurium quaedam in re sunt, quaedam ad rem. Jura in re sunt dominium, servitus, pignus, sive hypotecha, & hereditas. Jus ad rem ex obligatione nascitur debitoris. De dominio satis dictum: de servitutibus hoc capite: de hereditatibus libro quarto: & de obligationibus libro quinto, ubi etiam de hypotheca dicemus.

Servitus est veluti delibatio dominii, seu jus, quo ex re aliena commodum capimus. Harum aliae personales sunt, ut usus, ususfructus, habitatio: aliae praediales, quales sunt servitutes rusticorum, & urbanorum praediorum. De personalibus nihil ex jure nostri regni dicendum occurrit: de servitutibus praediorum pleraque ex nostris consuetudinibus monenda sunt.

Et quidem principio hujus principis urbis consuetudine cautum est eum, qui fundum habeat medium inter fundos vicinorum, si ad eum aditum non habeat, posse a vicinis pe-

petere iter, actum, aut viam, qua fundum adeat (1). Quod ita accipiendum est, modo pretium servitutis vicinis offerat, a quibus illam petit. Quod si quaestio incidat, iter, actus, an via, & qua fundi parte praestanda sit; ajo optionem esse ejus, qui servitutem petit, quam magis petat, modo majus pro una, quam pro alia pretium exsolvat: vicini vero esse electionem, per quam fundi partem petenti vicino servitutem tribuat; modo meminerimus judicem partes suas esse interpositurum, ut illi pro necessitate consulat, huic, quam minimum potest, incommodet (2).

Atque hanc consuetudinem, quippe quae ex ipsa naturali aequitate proficiscitur, non in solo Neapolitano territorio, sed ubique servandam puto, potissimum quum non sine ratione defendi possit juri Romano esse consentaneam (3).

Ut autem, quae Urbis consuetudinibus de servitutibus urbanorum praediorum cauta sunt, plane exponantur, illud meminisse oportet olim licuisse domino in suo quidvis facere, modo in alienum nihil immitteret; ideoque licuisse aedificare, adhuc si vicini luminibus vel

(1) Conf. si quis habens, de servit.
(2) Napodanus ad d. Conf. si quis habens.
(3) Argum. L. 12. D. de relig. legatur Noodt de usuf. lib. 1. cap. 9.

vel prospectui officeret. Hinc saepissime, qui aedificia construebant, atque in iis fenestras, solebant stipulari, ne luminibus, aut prospectui officeretur. Sed Zeno imperator cavit eos, qui essent aedificaturi, si quidem vetera vellent reparare aedificia, ea posse secundum veterem formam construere: sin vero nova vellent exstruere, si quidem a vicini aedificiis duodecim pedes esent remota, posse, ut eis esset libitum, aedificare, atque in aedificiis fenestras seu luminis, seu prospectus caussa aperire: sin a vicini domibus novum aedificium solos decem pedes distaret, posse quidem construi, atque in eo fenestras solius luminis caussa sex pedes supra pavimentum aperiri: intra id spatium novum aedificium construi non posse; nisi aliud pacto fuisset conventum. Praeterea novo aedificio construendo vetuit vicinis maris prospectum adimi; nisi novum a vicinorum aedificiis centum pedes distaret (4). Quumque dubitaretur, utrum ea lex ad solam urbem Constantinopolim, an ad omnem orbem Romanum pertineret. Justinianus ad universum imperium Romanum pertinere declaravit (5).

Atque hinc ejus quaestionis definitio pendet,

(4) L. 12. C. de aedif. privat.
(5) L. 13. C. de aedif. privat.

det, utrum liceat fenestras in nostro pariete in alienum prospicientes aperire, an id, nisi jure servitutis, nulli sit permissum; de qua summi viri non conveniunt (6). Nam jure veteri id licuit, quoniam vicino licebat contra aedificare, & lumen, ac prospectum nobis auferre: jure novo id minime est permissum, quum vicino libertas adimatur, nisi intermisso legitimo spatio, contra aedificandi; quare non licet, nisi jure servitutis, fenestras in alienum aperire.

Hoc ipsum consuetudinibus nostrae urbis aperte est constitutum. Etenim principio docemur fenestras juxta aedificia, vel solum vicini, nisi servitutis jure, haberi non posse. Quare in iis legitur: *inter servitutes numerantur dossitiae, & aliae aperturae* (7). Dossitia vero est fenestra satis arcta solius luminis, non prospectus causa, quasi in dorso parietis aperta (8). Idcirco in eisdem consuetudinibus cavetur, si quis voluerit in suo novum aedificium juxta solum vicini exstruere, non licere ei fenestras, vel alias aperturas facere, nisi duodecim palmos procul a vicini so-

(6) Cujacius lib. 2. obs. cap. 17. & Duarenus lib. 1. disput. cap. 33. id adfirmant. Huberus vero, & Wisenbachius ad tit. D. de S. V. P. negant.

(7) Consuet. inter servitutes, de apertur. non faciend.

(8) Napodanus ad d. Cons. inter servitutes.

solo (9). Et contra, si quis habeat aedificium secundum solum vicini, in quo aedificio sit fenestra, dossitia, vel alia apertura; minime licere vicino contra aedificare, nisi intermisso duodecim palmorum spatio (10). Palmos autem in hac consuetudine non debemus intelligere palmos Romanos trium unciarum, seu quatuor digitorum (11). Sed palmos nostrae vulgaris mensurae, quos *palmos cannae* consuetudo nuncupant, quos parum abesse puto a pedibus Romanis.

Hinc satis intelligitur has nostrae urbis consuetudines a jure Romano, constitutionibus scilicet Zenoniana, & Justinianea esse profectas; cui paene per omnia congruunt. Quare eae non in solo Neapolitano territorio, sed in regni quoque provinciis, immo in universa fere Europa obtinent.

Quod autem scribit Napodanus ejusmodi consuetudines non obtinere, ubi interjacet via publica, *vicinalis*, vel ecclesia, ut scilicet liceat fenestras aperire non intermisso legitimo duodecim palmorum spatio: & vicino liceat contra aedificare, & lumen, ac prospectum veteri aedificio adimere: quod consuetudo loquatur de aedificio juxta solum vici-

(9) Consf. ubi aliquis, de aper. non faciend.
(10) Consf. si quis habet, de servit.
(11) Frontinus apud Forcatulum ad L. 1. de servit.

cini exſtructo (12); id omnino lepidi capitis eſt: quum quia Zenonis conſtitutio generatim vetat lumen, aut proſpectum novo aedificio vicinis auferri: tum etiam, quia ipſa conſuetudo nonniſi duodecim palmorum intermiſſo ſpatio contra feneſtras vicini aedificare permittit. Quare multo minus probari poteſt, quod idem Napodanus tradit, ubi commune ſolum interpoſitum eſt, poſſe quem feneſtras aperire, & vicinum non intermiſſo legitimo ſpatio contra aedificare.

Caeterum tunc conſuetudo prohibet vicino contra vicini feneſtras aedificare, ubi in iis ſint antepagmenta, ſeu latera entrinſecus proſtantia, quae *cantones* conſuetudo appellat: vel ſaltem ferrei cancelli, ſi feneſtrae ſolius luminis cauſſa ſint (13). Quod eo ſpectat, ut intelligamus, ubi feneſtrae fuerint ſine proſtantibus lateribus, ac ſine ferreis cancellis, cenſeri clam exſtructas, ideoque eſſe occludendas; tantum abeſt, ut earum cauſſa poſſit quis vicino novum opus nuntiare, & contra aedificantem impedire: non, ut putemus, uti perperam Afflictus ſequutus opinionem Antonii Capycii, feneſtras vel antiquiſſimas, in quibus neque antepagamenta ſint, neque ferrei cancelli, occludendas eſſe. Etenim

A a

(12) Napodanus ad d. Conſ. ſi quis habet v. domum.

(13) Conſ. & ubicunque de ſervit. Afflictus decis. 225.

nim fenestrae tunc judicis decreto clauduntur, quum injuria sunt apertae: at ubi constat fenestras jure apertas esse, quod vel ex ipsa longa possessione manifestum fit, non poterunt sine injuria occludi (14).

Quod si quis non contra vicini fenestras, sed ex latere earumdem voluerit aedificare, hoc est ita aedificare, ut novum aedificium cum veteri angulum faciat; ita debet novum aedificium exstruere, ut a latere, seu extremitate fenestrae vicini duos palmos, & bessem distet (15). Sin quis neque contra fenestras vicini, neque ex latere: sed in porrectum voluerit aedificium construere; id quidem ei licet, sed si quas voluerit in suo aedificio fenestras aperire, eae debent ab intergerino pariete duos palmos, & bessem esse remotae, atque idcirco a vicini fenestris palmos septem, & trientem distare, quoniam intergerinus paries plerumque est duorum palmorum. Id quamvis scriptis consuetudinibus minime contineatur; tamen ex usu, & non scripta consuetudine servatur (16).

Is vero, qui domum habet secundum vicini solum, atque in ea fenestras seu prospectus, seu luminis caussa, potest altius tollere, novamque contignationem exstruere, atque

(14) Ursillus ad Afflictum decis. 265. & Molfesius ad cons. Neap. par. 14. quaest. 26. n. 13.
(15) Cons. & si ex latere, de servit.
(16) De Rosa ad d. Cons. & si ex latere.

que in ea fenestras facere, modo neque plures, neque ampliores faciat, & modo hae sint recta positae supra fenestras inferioris contignationis, ne vicino servitus adaugeatur (17).

De eo, qui aedificaturus vicino maris prospectum adimit, nihil nostris consuetudinibus cautum reperitur; ideoque quaerunt interpretes, utrum id sit permissum. Quidam negant, quod dicant, ubi consuetudines deficiunt, ad jus Romanum esse confugiendum, quo jure id minime est permissum. (18) Alii contra adfirmant, quod putent Zenonis, & Justiniani legem de prospectu maris ad solam urbem Constantinopolim pertinuisse. (19) Ea ratio futilis est: sed Sacrum Consilium novissime ideo aedificare permisit, quod consuetudo generatim concedat aedificia construi duodecim palmos procul a vicini fenestris: eamque definitionem noster sapientissimus rex confirmavit. (20)

Denique nostrae consuetudines aedificanti permittunt novum vicino aedificio conjungere, atque in illo tigna, & trabes soluto parietis pretio immittere; quod jure Romano minime li-

(17) Conf. si quis habet, de apert. non faciend.

(18) Capycius Latro decis. 50.

(19) Gothofred. ad L. 13. C. de aedif. priv. & de Luca de sevit. disc. 1.

(20) Collect. reg. lit. par. 2. tit. 136. num. 1. & 2.

licet, nisi ei, qui habet jus tigni immittendi:
Is vero, qui suum vicini aedificio conjungit, si tigna, & trabes immiserit, medietatem pretii parietis debet exsolvere: sin minus, sed duntaxat novum vicini aedificio applicuerit, ut tegularum, & solarii extremitas in vicini aedificium incumbat, seu, ut loquitur consuetudo, *capita tegularum & lacertum astraci in vicini aedificio recumbat*, quadrantem praetii amplius parietis solvere debet (21). Verum hanc subtilem distinctionem usus minime servat: sed quicunque suum vicini aedificio applicuerit, medietatem pendere debet pretii parietis vicini, qui communis fiet, ut si reparatione indigeat, communibus expensis sit reparandus (22).

Caeterum aedificanti licet novum aedificium coeco vicini parieti applicare, aut ei, in quo sunt fenestrae solius luminis gratia; modo novum aedificium infra eas terminetur, palmum quidem unum si tecto: sin subdiali pavimento octo palmos, ne vel officiatur luminibus vicini, vel ex pavimento subdiali in vicini aedes, aut aream sit adspectus (23). Quod si nullae sint in vicini aedibus fenestrae: sed ex earum tecto stillicidium, aut ex subdiali pavimento flumen casitet: qui novum exstruit vicini aedificio conjuctum, ubi ad tectum,

(21) Conf. sed si recumbat, de servit.
(22) Napodanus ad d. Conf. etsi ex latere.
(23) Dict. Conf. etsi ex latere.

ctum, vel subdiale pavimentum venerit, debet novum a veteri aedificio palmo removere, ut fluenti aquae locum faciat, tum, ut libuerit, altius tollere: atque in subdiali pavimento, quo novum aedificium finitur, murum octo palmos altum sine aliqua apertura construere, ne illinc in vicini aedes, vel solum adspectus esse possit (24).

Denique hujus principis urbis consuetudinibus quaedam de servitutum praescriptione statuta sunt. Etenim primo cavetur, qui contra domum dirutam, quam *casalenum* consuetudo appellat, fenestras aperuerit, vel quid in eam immiserit, aut alio modo servitutem induxerit, eum ne longissimi quidem temporis praescriptione juvari (25): quoniam, ubi domus diruta est, ut a nemine incolatur, dominus neque inductam servitutem novisse, neque agere potuisse censendus esse. Deinde, ubi reperitur instrumentum divisionis, quod vulgo dicebatur *notitia*, neque consortes, qui diviserunt, neque eorum universales, vel singulares successores vel longissimi temporis possessione servitutem adquirere, vel amittere posse (26). Immo si in instrumento divisionis nulla servitutis mentio fiat, nequit consors

(24) Consf. si quis habens, Consf. & idem, & Consf. quod si nolit, de apert. non faciend.

(25) Consf. contra habentem, de aper. non faciend.

(26) Consf. ubi reperitur d. tit.

fors adverfus conſortem vel longiſſimi temporis poſſeſſione ſervitutem adquirere: quoniam, quando nulla ſervitutis mentio fit, ſingulis conſortibus portio immunis a ſervitute tributa cenſetur (27).

Hae autem conſuetudines ex naturali aequitate, atque ex moribus Normannorum, & paene omnium Germaniae populorum profectae eſſe videntur, qui ne triginta quidem annorum ſine bona fide praeſcriptionem admittebant. Quare longiſſimi temporis praeſcriptionem, quam conſuetudines meminerunt, triginta annorum intelligo: non vero immemorabilem, aut centenariam, quae privilegii loco eſt, atque etiam ad regalia jura adquirenda prodeſt (28).

Hinc idem obtinere debet, ſi haud quidem diviſionis, ſed aliud inſtrumentum, aut judicis ſententia, vel arbitri judicium, *laudum* dicunt, tacito, vel expreſſo partium conſenſu probatum inveniatur: quum ea non minoris auctoritatis ſint, quam inſtrumentum diviſionis, neque minus malam fidem inducant, ut quis ne poſſit ſe praeſcriptione tueri (29).

Finis primae partis.

(27) Conſ. amplins d. tit.

(28) Napodanus ad d. Conſ. ubi reperitur: etſi is immerito diſſentiat de centenaria praeſcriptione.

(29) Napodanus ad d. Conſ. ubi reperitur.

INDEX

CAPITUM PRIMAE PARTIS

Prolusio historica.

Liber I. De Magistratibus.

Cap. XII.

Liber II. de privatis personis.

Liber III. De rerum divisione, & particularibus earum adquirendarum modis.